

Cambridge University Press

978-1-108-06662-4 - Opuscula: Volume 2

Moritz Haupt Edited by Ulrich Von Wilamowitz-Moellendorff

Index

[More information](#)

INDEX LECTIÖNVM

QVAE AVSPICII REGIS AVGVSTISSIMI FRIDERICI GVILELMI QVARTI IN
VNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA GVILELMA PER SEMESTRE
AESTIVVM A D. XIV M. APRILIS VSQVE AD D. XV M. AVGVSTI A.
MDCCCLIV HABEBVNTVR.

VNIVERSITATIS LITTERARIAE
FRIDERICAE GVILELMAE
RECTOR ET SENATVS.

Aetna, ignoti poetae carmen (nam Lucilio Iuniori speciosiore quidem opinione hodie adscribitur quam olim P. Vergilio Maroni aut Cornelio Severo, sed iure non maiore), neglegentia ac stultitia librariorum tam incredibili corrupta est ut verissime de ea re Iosephus Scaliger ante hos ducentos et octoginta annos questus sit: ‘nulli fere poemati’ inquit ‘magis nocuit, immo, ut ne quid dissimulem, nulli tantum nocuit vetustas.’ neque inde ab eo tempore hominum doctorum studio effectum est ut vel viginti continuos carminis versus sine offensione legere aut omnino intellegere possimus. nam ipse Scaliger, vir ingenio atque eruditione pariter admirabilis, etsi conplura vitia eximie emendavit, in plerisque tamen a veritate aberravit, cum neque diurnam operam in hoc carmen restituendum inpendret et fervor quidam ingenii ipsaque illa ingens qua abundabat doctrinae copia instituto labori quodam modo officeret. tantum abest enim ut Augusto Ferdinando Naekio adsentiamur, qui Scaligeri ingenium in primis aptum fuisse pronuntiavit ad poetas duriores, quales Naekius dirarum Ciris Aetnae auctores esse putavit, emendandos atque explicandos, ut duritiem illam sermonis saepius librariorum quam poetarum culpa inpediti non numquam adeo auxisse videatur. nam fuit sane vir summus insigni et plane singulari Latini sermonis scientia praeditus, sed cum multo

INDEX LENTIONVM AESTIVARVM 1854.

27

se ac fructuoso studio potissimum ad cognoscendas obscuras et quasi minutatim concisas antiquissimae linguae reliquias applicasset, factum est ut ad tempora et vicissitudines sermonis legesque cultioris orationis animum minus adverteret et non numquam vel talia comminiseretur qualia nullo Latinitatis tempore dicta esse probabile est. accedit quod in Aetna emendanda praeter exemplaria non nulla ab Italis saeculo quinto decimo edita, quos libros olim impressos dicere fere solet, excerptis tantum quibusdam, ut ait, poetarum usus est. quorum excerptorum, eorundem illorum quorum in Tibulli carminibus et in panegyrico Pisonis mentionem fecit, exemplar aut idem aut persimile in codice quodam Parisino servatum est, de quo alio tempore dicemus. post Scaligerum parti carminis insigne emendationis emolumentum invento codice Florentino sive potius Lucensi accessit, in quo codice versus centum et quinquaginta duo inde a centesimo tricesimo septimo scripti sunt: integri codices excussi sunt duo, Helmstadiensis et Rehdigeranus (nam alter Rehdigeranus quo Iacobus usus est descriptus est ex impresso aliquo exemplari); sed uterque liber et recens est, quippe saeculo quinto decimo scriptus, et valde vitiosus: quamquam in multis a veritate minus distant quam impressa illa Italorum exemplaria. in tanta igitur adiumentorum infirmitate non mirandum est quod non nulla quidem Wernsdorfius, pauca aliis, plura ceteris egregius¹ vir Fridericus Iacobus bene emendaverunt, sed magna ad modum pars mendorum restat neque universa vitiositatis ratio et fallax Italorum grammaticorum ars sat perspecta est: quamquam poterant homines docti Florentini libri comparatione normam quandam iudicandi atque emendandi nancisci, debebatque eos illa carminis pars quae codicis huius ope aliquanto magis quam ceterae partes emendata est admonere ne nimis mirabilia poetae potius quam librariis attribuerent. nobis felicioribus esse licuit beneficio Iosephi Poweri, bibliothecarii Cantabrigiensis, a quo viro doctissimo accuratam codicis Cantabrigiensis saeculo, ut videtur, decimo scripti notitiam accepimus. mentio huius libri facta erat anno MDCCXXXII in Musei philologici a Welckero et Ritschelio editi volumine 1 p. 135, et ita quidem facta erat quasi plane incognitus antea fuisset. nos cum suspicati essemus eundem esse librum quem Eliensis nomine Ioannes Davisius quodam commentariorum Cicero-

nianorum loco et accepta quadam ab Evervino Wassenberghio notitia Gerardus Tiaard Suringar in spicilegiis criticis Lingae anno MDCCCIII editis commemoraverunt, opinionem nostram Powerus plane confirmavit. nimirum possederat olim codicem Ioannes Morus, episcopus Eliensis, cuius libros Academia Cantabrigiensis Georgii I, regis Angliae, liberalitate accepit. Wassenberghium eo codicis apographo usum esse putamus quod anno MDCCX Davisius ad Ioannem Clericum miserat, ut ex epistula eius intellegitur quam Hoevenus in libro quem de Clerico scripsit p. 274 edidit.

In hoc igitur codice Aetna ita scripta est ut multum quidem ei ad perfectam bonitatem desit, non nulla tamen, quae in ceteris libris mirifice corrupta sunt, mendis careant, in aliis emendandi via aperiatur, Italorum commenta ac fallacias antiqui libri integritate comparata penitus pernoscamus, denique, quod in primis memorabile est, carmen aliquot versibus versuumque particulis, quae a ceteris codicibus non conservatae sunt, augentur. itaque operae pretium facturi esse nobis videmur, si hac scribendi opportunitate oblata ita utemur ut pleraque illa carminis incrementa diligenter pertractemus. quibus si aliorum multorum versuum emendationem admiscebimus, aut gratiam fortasse non nullam ab hominibus doctis inibimus aut litteras adiuvandi voluntas saltem excusabitur.

Itaque post carminis exordium refutantur fabulae poetarum, qui aut Vulcani officinam in Aetnae cavernis esse aut Enceladum eo monte obrutum ignes expirare narraverunt, simulque fabulosa illa gigantum adversus deos pugna describitur. sed hanc partem poematis vulgatiora exemplaria non integrum conservarunt. ac primum quidem inde a versu quinquagesimo haec leguntur,

*iam coacervatas nituntur scandere moles,
impius et miles metuentia comminus astra
provocat infestus cunctos ad proelia divos
provocat admotis*
*Iuppiter e caelo metuit dextraque coruscum
armatus flamمام removet caligine mundum.¹*

³ ita codices Helmstadiensis et Rhedigeranus, nisi quod ille *infestos*, hic *infensus* habet; *infestus* plerique impressi et, ut videatur, Cantabrigiensis: deinde in fine codices illi duo *admotus*

INDEX LECITIONVM AESTIVARVM 1854.

29

habent, non *armatus*. in Aldino exemplari anni MDXVII mutilati versus particula ita scripta est, *Provocat è * admotis **: pars olim impressorum haec habet, *Provocat e caelo admotis dextraque coruscum*, ut haec duo verba *Iuppiter* et *metuit* omissa sint. sed Cantabrigiensis liber pleniorum exhibit versum, *Provocat admotisque tertia sidera signis*. id qui primus protulit Gerardus Tiaard Suringar Evervinum Wassenberghium ita hos versus restituisse narrat, *Inpius et miles metuentia comminus astra Provocat, infestus cunctos ad proelia divos Provocat, admotisque ad territa sidera castris Iuppiter in caelo metuit*. et sane necessario scribendum est AD TERRITA: sed *signis* cur mutaretur nulla erat causa, neque *e caelo* (nam *a caelo* solus Rehdigeranus habet) *Iuppiter* metuisse, i. e. cum *e caelo* hostium impetum consiperet, minus dici potuit quam Propertius v 6 59 dixit *At pater Idalio miratur Caesar ab astro et similia alii.* verum ut iusta orationis forma restituatur, *traiectis duobus versibus* ita haec scribenda sunt, *Inpius et miles metuentia comminus astra Provocat, admotis AD TERRITA sidera signis Provocat infestus cunctos ad proelia divos.* *Iuppiter e caelo metuit DEXTRAMQVE CORVSCA Armatum FLAMMA removet caligine mundum.*)* nam recte in libro Aldino correctum est quod ceteri habent *dextraque coruscum flammarum*, et *flamma* certe etiam Cantabrigiensis praebet. *removet*, quod in libris scriptis et Aldino legitur, cum antiquiores impressi renovat habeant, Wernsdorfius et Iacobus pulchre explicarunt. qui proxime secuntur versus ita scribendi sunt,

incursant vasto primum clamore gigantes:

hinc magno tonat ore pater, geminante faventes

undique discordi sonitum simul agmine venti.

HINC rectissime Scaliger: libri *hic*. deinde GEMINANTQVE codices Cantabrigiensis et Helmstadiensis atque exemplar Aldinum: reliqui *geminatque*. tum *favente* unius Helmstadiensis libri error est. denique libri *discordes comitum*, quod fortasse ferri posset, si unius tantum alicuius venti nomen sequeretur; nunc venti comitum simul agmine aut ingeminari aut quod *Iuppiter* ore tonuit geminare plane inepte dicuntur. quare praeclaro acumine Wakefieldus DISCORDI *fremitum* scribendum esse coniecit, nisi quod melius etiam, utpote leniore mutatione factum, Iacobi

*) *[A traiciendo Hauptius in editione abstinuit.]*

SONITVM est, neque debebat vir doctissimus huic suae coniecturae diffidere. ceterum VENTI est in Helmstadiensi et Rehdigerano atque in Aldino, in olim impressis *ventos*; de Cantabrigensi dubium nobis est.* haec igitur restituta sunt: sed proximum carmen sine Cantabrigiensis codicis ope restitui nullo modo potuit.

densa per attonitas rumpuntur fulmina nubes
atque in arma ruit quaecumque potentia divum,
et Mars saevus erat, iam cetera turba deorum,
stant utrinque metus.¹

RVMPVNTVR Helmstadiensis et impressa non nulla exemplaria; ceteri funduntur: sed illud multo rectius est. sequentem versum talem dedimus qualis in olim impressis exemplaribus legitur: libri Helmstadiensis et Rehdigeranus *Et que in* habent, reliquam autem versus partem omittunt, similiterque in Aldino exemplari tantum *Et quae** scriptum est. VTRINQVE exemplar Aldinum, idque Cantabrigiensis codex confirmat: ceteri utrunque. sed *metus* in utroque agmine stetisse absurde dicuntur: est autem *metus* nihil nisi falsissimum Italorum commentum; nam in codicibus *deus* scriptum est. qui versus impeditissimos et aperte depravatos emendare studuerunt fieri non potuit quin operam perderent. nam libro demum Cantabrigensi patefactum est alterum versiculum, cum forte in eo libro ex quo reliqui praeter Cantabrigiensem codices deducti sunt ex parte detritus aut alia labore affectus esset, Italos aliquo supplemento resarcire studuisse, post eum autem aliud integrum versum excidisse. Cantabrigensis enim liber haec praebet. Atque in bellandumque cuique potentia divum *In commune venit iam patri dextera pallas Et mars saevus erat iam cetera turba deorum Stant utrimque deus.* hinc facillima emendatione praeclara efficimus, Atque AD bellandum QVAE cuique potentia divum *In commune venit iam patri dextera Pallas Et Mars LAEVVS erat, iam cetera turba deorum Stant utrimque SECVS.* dextera stat Pallas Iovi, a quo proximos eam honores occupasse Horatius dicit, similiter atque in Ovidii metamorphoseon III 753 Perseus *dis tribus — focos totidem de caespite ponit, Laevum Mercurio dextrum tibi, bellica virgo, Ara Iovis media est.*

*) [Habet ille quoque venti.]

INDEX LECTIÖNVM AESTIVARVM 1854.

31

Videmur autem nobis veniam inpetraturi esse, si ab his versibus non statim transgrediamur ad alium in quo verba aliquot poetae quae reliqui codices omittunt a solo Cantabrigiensi libro servata sunt, sed sensim procedentes hanc carminis partem ulterius persequamur: nam multa in ea sunt quae emendationem et requirere et accipere posse videantur. itaque post illa verba, *iam cetera turba deorum Stant utrimque secus*, carmen ita continuatur,

*validos tum Iuppiter ignes
increpat et iacto proturbat fulmine montes.
illinc devectae verterunt terga ruinae
infestae divis acies atque impius hostis
praeceps cum castris agitur materque iacentes
impellens victos.*

IACTO ex olim impressis recepimus: *victo* habet Cantabrigiensis et habuisse videtur Helmstadiensis ante quam *victo^s* scriberetur; *victor* est in Rehdigerano. mox DEVECTAE Helmstadiensis et pars impressorum: alia enim pars et, nisi Iacobus erravit, Rehdigeranus *devictae*. inutilis est Wernsdorfii conjectura *devecta ruina*. Propertius v 2 54 *hostes turpi terga dedisse fugae*, Ovidius metamorphoseon v 323 *cunctosque dedisse Terga fugae*, similiterque Ovidius locutus est x 706, xii 313, xiii 878. postrema inepta sunt: nam castra gigantum, i. e. coacervati montes, Iovis fulmine deorsum agi recte dicuntur, ipsa terra absurde. itaque nihil proficimus Iacobi conjectura, qui cum *impellens* explicari non posse intellexisset, *involvens utero* scribendum esse censuit. praeterea debile est quod post *iacentes* additur *victos*. nobis conjectura quidem, sed verissima conjectura inventum esse videtur quod P. Pithoeus in margine epigrammatum et poematum a se editorum adscripsit, *materque iacentes AMPLEXA EST GNA-
TOS*, nisi quod NATOS scribere praestat: sumpsit autem Pithoeus, nisi fallimur, ex Antverpiensi exemplari anni MDLXVI, quod nancisci non potuimus. quod si quis elegantissimam emendationem propterea inprobet quia violentius verba mutari videntur, eum et inmanem huius carminis depravationem ignorare putabimus, neque satis attendere quotiens in poetarum carminibus prima verbum verba turpi corruptela contaminata sint. nos hac observatione eo utemur ut alium huius carminis versum non prorsus dissimiliter emendemus. etenim quae in exordio scripta sunt (v. 18)

Cambridge University Press

978-1-108-06662-4 - Opuscula: Volume 2

Moritz Haupt Edited by Ulrich Von Wilamowitz-Moellendorff

Index

[More information](#)

32

INDEX LECITIONVM AESTIVARVM 1854.

*quis non Argolico deflevit Pergamon igni
impositam et tristi natorum funere matrem?*

ea et absurdia sunt (nam oppidum cadavera illa Servii Sulpicii frustra conparantur) et non recte ab hominibus doctis emendata. scribimus *Quis non Argolico deflevit Pergamon igni AMBYSTAM AVT TRISTEM natorum funere matrem?* in quibus aut Iacobo debemus,*) *tristem* Wernsdorfio, qui recte conparavit quod Nemesianus cynegeticorum v. 45 dixit *Nam quis non Nioben numeroso funere maestam Iam cecinit?* eundem poetam et hic *Pergamon igni ambustum* et infra v. 588 *flebile bustis Pergamon* dicere potuisse non videtur esse dubitandum: quamquam Horatium tantum *hanc Ilion* dixisse Lachmannus probabile reddidit, neque magnopere repugnaremus, si quis *ambustum Pergamon* praeferret. sed ut in viam redeamus, postquam poeta terram victos Iovis fulmine filios amplexam esse dixit, ita pergit,

*tum pax est redditu mundo,
tum Liber celsi venit per sidera caeli
defensique decus mundi nunc redditur astris.*

qui versus tolerabiles fiunt, si **TVNC ADDITVR astris** scribimus, ut Hofmano Peerlkampio placuit in bibliothecae criticae novae volumine III p. 251; et *tunc* exhibit codex Rehdigeranus. veruntamen valde dubitari potest ne hic alia lateant, quae qualia fuerint nondum nobis licuit indagare. nam et doctas suspiciones Iacobus protulit et mundi vel caeli nomen nimis inculcari videtur et in libris haec aliter scripta sunt. etenim quis primum *celsi* scripsit incertum nobis est: *Cantabrigiensis cessat* habet, in Helmstadiensi ex *cessa* factum est *cressa* et inepta explicatio adscripta *de corona adriane*, in Rehdigerano *celsa* legitur; *caeli* autem tantum impressi, scripti codices omnes *celum* habent. *celsum* *caelum* pro alto dici per se non magnopere miraremur, modo in antiquis libris hoc legeretur: nam *celsa astra* Lucanus dixit vi 411, *celsum polum* Avienus phaenomenon v. 220, *celsum aera* idem v. 511, *celsum cardinem* v. 558 et 774, *celsam molem* quam Atlas fert v. 574, *celsum aethera* v. 1133. neque displicet quod docti in Ciri v. 218 scripserunt *altum Subspicit ad celsi nutantia sidera mundi*: nam quod in novissimis

*) [In editione et servatum est.]

INDEX LECITIONVM AESTIVARVM 1854.

33

exemplaribus legitur absurdum est*). sed, ut diximus, horum Aetnae versuum emendationem ab aliis expectamus. certius est de proximis iudicium,

*gurgite Trinacrio morientem Iuppiter Aetna
obruit Enceladon, vasto qui pondere montis
aestuat et patulis expirat faucibus ignis.*

ita enim haec scribenda sunt. ENCELADON Cantabrigiensis: reliqui *Enceladum*. tum *VASTO* qvi recte Helmstadiensis et Rehderanus et Aldinum exemplar, *vastoque* Cantabrigiensis, olim impressi *vasto quoque*. deinde libri *petulans* et peius etiam Cantabrigiensis *petula inse*: sed petulantiam et procacitatem Ence-ladi iniecta Aetnae mole compressam esse credimus verissimum-que est *PATVLIS*, quod qui primus invenerit ignoramus, habet autem liber Aldinus. secuntur ad modum vitiosa,

*haec est mendosae vulgata licentia famae.
vatibus ingenium est; hinc audit nobile carmen.
plurima pars scenae rerum est fallacia.*

iam hic subsistere cogimur. nam quid tandem hoc est, *rerum fallacia?* neque minus absurde *pars scenae rerum* pro ipsius scenae parte diceretur. verum hic quidem certa emen-datio in promptu est: neque enim dubitamus quin ita scriben-dum sit, *Plurima pars scenae VATVM est fallacia*. eodem modo dictum est antea v. 29 *nequem capiat fallacia vatuum*. evincunt autem emendationis veritatem ea quae secuntur,

vates

*sub terris nigros viderunt carmine manes
atque inter cineres Ditis pallentia regna;
mentiti vates Stygias undasque canesque.*

sed hi quoque versus gravi orationis vitio laborant, quod homi-nes docti dudum animadvertere debebant. nam vidisse manes Ditisque regna, i. e. commenti esse ea quae nemo alias um-quam vidit, poetae recte dicuntur, ineptissime autem *carmine* illa non finxisse, sed vidisse. neque tamen *finixerunt* poetam scripsisse existimamus, sed hac probabiliore mutatione hunc versum restituere nobis videmur, *vates Sub terris NIGRO vide-runt AGMINE manes.* nigrum manium agmen similiter dictum est

*) [Cir. 247 alte suspicit ad celsi nictantia sidera mundi, *Aetn. 69 edi-tus est quavis in Cantabrigiensi libro legitur cruce praeposita.]*

atque Horatii illud *Num vanae redeat sanguis imagini Quam virga semel horrida Non lenis precibus fata recludere Nigro conpulerit Mercurius gregi?* agminis enim vocabulum non numquam de omni multitudine dici, nulla ut retineatur motus significatio, certissimis exemplis potest demonstrari. ita Ovidius cum dicit metamorphoseon III 646 *Increpor a cunctis totumque inmurmurat agmen*, turbam nautarum significat neque quicquam amplius. idem libri V initium hoc fecit, *Dumque ea Cephemum medio Danaeius heros Agmine commemorat*: consessum dixit Aethiopum, similiter ac libro VII 101 locutus est, *Conveniunt populi sacrum Mavortis in arvum Consistuntque iugis; medio rex ipse resedit Agmine purpureus sceptroque insignis eburno.* possumus pluram addere, sed pergendum est in Aetna emendanda. atque indigit emendatione proximus versus, quo poetarum criminatio continuatur,

hi Tityon septem stravere in iugera foedum.

legitur hoc in libris olim impressis: verum in scriptis libris Cantabrigiensi Helmstadiensi Rhedigerano non *septem* invenitur, sed *poena*. quod cum ferri non posse Itali intellegent, *septem* illud posuerunt, quod omni probabilitatis specie caret. cur enim poeta Homericus illa ἐννέα πέλεθρα, quae omnes retinent qui hanc fabulam commemorant (commemorant autem plurimi), in *septem* iugera mutare voluerit nulla excogitari potest causa. quare debebat potius *poena*, quod codices habent, ita mutari ut constans in hac fabula numerus restitueretur. quod fieri potest facilissime: scribendum est enim *Hi Tityon stravere NOVENA in iugera foedum.* postquam semel *poena* scriptum erat, fieri non potuit quin verba traicerentur, quo carminis numeri constarent. a Tityo poeta ad Tantulum transit similesque fabulas complectitur:

*sollicitant illi te circum, Tantale, poena
sollicitantque siti, Minos tuaque Aeace in umbris
iura canunt, idemque rotant Ixionis orbem,
quidquid et interius falsi sibi conscientia terrent.*

quorum versuum primum non posse a poeta ita scriptum esse Itali quodam modo intellexerunt: sed quod posuerunt, *Sollicitant magna te circum, Tantale, poena*, eo non removetur inepta poenae et siti disiunetio. adparet autem improbabiles esse hominum doctorum conjecturas quae hoc Italorum commento nini-

tuntur. veluti quod Wernsdorfio placuit, *stagno-pleno*, per se quidem bonum est, sed infirmo vel potius nullo fundamento superstructum: quis enim credat ex *stagno* fieri potuisse *illi?* immo poeta scripsisse videtur, quod ut simplicissimum Lachmanno quoque placuit, *Sollicitant illi te circum, Tantale, pomo, Sollicitantque siti.*^{*)} nam *circum* intellegi potest: quamquam scitum est Scaligeri *siccum*, idemque vocabulum necessarium esse putamus in Vespaie iudicio coci et pistoris, in quo quod v. 83 dictum est *Solus aqualiculum reddi sibi Tantalus orat*, acumen habebit, tale scilicet quales sunt inepti carminis facetiae, si scribitur *siccvs aqualiculum*. in Aetnae versuum quos adscripsimus ultimo rectissime Fridericus Iacobus VLTERIVS scriendum esse vidit: sed quod ex codicibus Helmstadiensi et Rehdigerano adsumpsit *falsi consortia* *terrent*, id apte explicari posse negamus; quod autem in libris olim impressis legitur *falsi sibi conscientia terra*, vel *terra est*, confirmatur codice Cantabrigiensi, in quo tamen *terrent* recte scriptum est. et dicta haec esse videntur satis bene *Quidquid et VLTERIVS falsi sibi conscientia terrent*, i. e. et quibuscumque praeterea commentis hominum animos poetae terrent, ipsi sibi conscientia se falsa proferre. nam quod illa falsi conscientia a poetis ad mendacia eorum transfertur, nulla reprehensione dignum est. pronomine autem illo quod est *quidquid* et alii scriptores non numquam ita usi sunt ut ad adverbii significationem prope accederet et ipse hic poeta cum dixit v. 23 *Quidquid in antiquum iactata est fabula carmen, Fortius ignotas molimur pectore curas.*[!]

Post eorum quae de inferis poetae mentiti sint commemo-⁸ rationem, quae eo versu de quo modo diximus absolvitur, haec secuntur,

*non est terra satis: speculantur numina divum
nec metuant oculos alieno admittere caelo.*

ita libri olim impressi. sed vitii suspicionem movere debebat et ipsa oratio, quae non conexa est cum eis quae praecedunt, et scriptorum codicum depravatio: nam Helmstadiensis codex hoc habet, *Nec ut terra satis*, Rehdigeranus *Haec ut vera satis*. ex quibus nullo negotio efficiendum erat *Nec tv, terra, satis:*

^{*)} [Edidit Hauptius: hic Tityon stravere novena in iugera foedum sollicitant illic te circum, Tantale, pomo.]

idque ipsum praebet liber Cantabrigiensis. sed transimus ad aliam carminis partem, in qua extremis versiculi alicuius verbis codices Helmstadiensis et Rehdigeranus carent, complementum autem numerorum quod libri olim impressi praebent intellegi nequit hominesque doctos valde sollicitavit atque ad vanas et mirabiles opinaciones induxit: nunc Cantabrigiensis codicis ope carmen restituere possumus. quo autem planius omnia adpareant, disputatione nostra non illum tantum versiculum, sed totam sententiarum seriem comprehendemus. itaque postquam ignotus nobis carminis auctor poetarum fabulas reiecit, suam doctrinam exponere ita instituit (v. 93),

*Quacumque immensus se terrae porrigit orbis
extremique maris curvis incingitur undis,
non totum est solidum: deficit namque omnis hiatus,
secta est omnis humus, penitusque cavata latebris
exiles suspensa vias agit, utque animantis
per tota errantes percurrunt corpora venae,
ad vitam sanguis omnis qua cum meat idem
terra voraginibus conceptas digerit auras.*

in prioribus versibus nihil est quod reprehendere possis. *incingitur*, quod conjectura nescio cuius inventum esse videbatur (nam in libris plerisque peccatum est), confirmatur codicis Cantabrigiensis auctoritate, per se illud quidem satis tutum. *animantis corpora* non debent offendere: utuntur enim poetae non numquam pluratio huius vocabuli numero ubi singularem expectes. Tibullus 1 2 25 *Nec sinit occurrat quisquam qui corpora ferro Vulneret aut raptâ præmia veste petat*: loquitur de suo unius corpore. Ovidius epistula vi 129 *Spargere quae fratris potuit laniata per agros Corpora, pignoribus parceret illa meis?* imitator Ovidii in epistula Hypermnestrae 125 *Vel fer opem vel dede neci defunctaque vita Corpora furtivis insuper adde rogis.* sed paenultimus versus, quem talem adscriptissimus qualem codex Cantabrigiensis exhibet, emendationem requirit: consentiunt autem cum eo codice libri Helmstadiensis et Rehdigeranus, nisi quod *qua comeat* habent, et olim impressi, nisi quod in his *sanguisque* et *qua commeat* legitur. qui emendare hunc versum conati sunt, non viderunt quod maxime vitiosum est. nam Latine sanguis neque ad vitam commeare dici potest neque ad vitam omnes circum meare artus, quae hominis doctissimi opinio fuit

INDEX LECTIONVM AESTIVARVM 1854.

37

qui ita poetam scripsisse putavit, *Ad vitam sanguis qua¹ omnis* ⁹
circum meat artus: praeterea haec coniectura, ut taceamus non
 intellegi qui potuerint *artus* in *idem* mutari, partim eo nititur
 quod Itali, ut diximus, *sanguisque* scripserunt, cuius rei causa
 mox adparebit. laudabimus si quis depravatissima verba leni
 mutatione correxerit: interim nos in carmine tot tamque gravi-
 bus vitiis pleno audaciore emendatione uti non magnopere refor-
 midabimus, praesertim in initio versus, quae vitiorum quaedam
 quasi sedes est, ut supra diximus. itaque putamus poetam aut
 scripsisse aut scribere certe potuisse *utque animantis* *Per tota*
errantes percurrunt corpora venae DANTQVE VIAM, *sanguis omnis*
qua COMMEET, *ISDEM Terra voraginibus conceptas digerit auras*.
 in his a Clerico adsumpsimus *isdem*. sed idem Clericus temere
 scripsit *foraminibus*: nam hiatus et latebras, quas antea poeta
 dixerat, voragine recte vocare potuit. vocabulo quod est *san-*
guis spondeum expleri post ea quae Lachmannus ad Lucretii
 i 853 adscripsit notius iam erit quam et nuper non nullis fuit
 et olim Italis illis qui *sanguisque* scripserunt dumque numeros
 carminis restituere sibi videntur sententiam perverterunt. secun-
 tur haec,

scilicet aut olim, diviso corpore mundi
in maria ac terras et sidera, sors data caelo
prima, secuta maris, deseditque infima tellus,
sed totis rrimosa cavis et qualis acervus
exilit inparibus iactis ex tempore saxis,
ut crebro introrsus spatio vacuata corymbos
pendeat in sese, simili quoque terra figura
in tenues laxata vias non omnis in artum
nec stipata coit; sive illi causa vetusta est
nec nata est facies, sed liber spiritus intra
effugiens molitur iter, seu lympha perenni
edit humum limo furtimque obstantia mollit,
aut etiam inclusi solidum vicere vapores
atque igni quaesita via est, sive omnia certis
pugnavere locis: non est hic causa docenda,
dum stet opus causae.

in primo versu codex Cantabrigiensis *haud* habet: *avt*, quod
 reliqui fere libri *praebent*, verum esse Iacobus rectissime intel-
 lexit. sed in reliquis versibus plerasque eius opiniones probare

non possumus: neque tamen refutandas eas esse ducimus, cum et simplicem veritatem molesta disputatione non egere et ipsum hominem doctissimum aliter hodie atque olim fecit iudicare existimemus. ac primum quidem tellurem *totis cavis* rimosam dici posse negamus: poterat dici tota rima *cavis*, sed verum est quod ex Cantabrigiensi codice depromptum Davisius in commentario ad Ciceronis de natura deorum librum II 42 probavit, *sed TORTIS rimosa cavis*. itaque uti poterat hoc versu Lachmannus cum disputabat de Lucretii III 545. deinde EXILIT coniectura inventum esse videtur, sed verissima: *exeat* habent liber Cantabrigiensis et¹ olim impressi, *exit*it**,*) quod propius a vero abest, Helmstadiensis et Rehdigeranus. in proximo versu olim impressi partim habent *vacuata corymbo*, partim *vacuata cymbos*, quorum illud intellegi nequit, hoc ferri fortasse posset nisi femininum corymbi genus vitiosum esset et prorsus intolerabile. quae cum ita essent, multum in hoc versu emendando laboratum est, verum neque probabilis coniectura facta est neque quicquam adiuabant codices: in libris enim Helmstadiensi et Rehdigerano haec duo verba *vacuata cymbos* omissa sunt. nunc postquam Cantabrigensis codicis adiumentum adquisivimus, exploratum nobis est corymbi vocabulum ab Italis profectum esse: nam in illo libro hic versus ita scriptus est, *Vt crebrer introrsus spatio vacat acta charibdis*. scribemus igitur *Vt crebro introrsus spatio VACVATA CHARYBDIS Pendeat in sese*. χάρυβδης de omni voragine dictam Lobeckius tetigit in prolegomenis pathologiae sermonis Graeci p. 290 et in βηματικῷ p. 303. non minus autem depravata sunt quae secuntur. nam natae telluris faciei, i. e. ei formae quam ab origine mundi habuisse fortasse videatur, quomodo tandem *causa vetusta* opponi potest? aut quomodo *spiritus intra effugiens* dici? quo minus enim *intra* ab hoc participio separamus ipsa orationis forma impedire videtur. immo ita poeta scriperat, *sive illi causa VETVSTAS Nec nata est facies, sed liber spiritus VLTRA Effugiens molitur iter*, i. e. sive longi temporis decursus fecit ut tellus hanc formam acciperet. quod *ultra* posuimus, similiter poeta locutus est v. 140, *Cernis et in silvis spatiosa cubilia retro Antraque demersis penitus sedisse latebris*:

*) [Habet Cantabrigensis exilit ex silentio Munronis.]

INDEX LENTIONVM AESTIVARVM 1854.

39

*Inconspicua via est; aer tantum effugit ultra: in quibus versibus libri fodisse aut fudisse habent, SEDISSE egregia est Wernsdorfi emendatio, quam deinde ipse mirabilibus et vanis commentis obscuravit. denique lympham limo humum edentem valde miramur lubricae ad modum interpretationis artificio defensam esse: nobis videtur Scaliger et elegantissime et verissime scripsisse seu *lympha perenni Edit humum LIMA*:*) habent autem liber Cantabrigiensis et olim impressi *perenni*, non *perennis*. post ea quae supra adscripsimus, non est hic causa docenda, Dum stet opus causae, poeta ita pergit, si libris olim impressis credimus,*

quis enim non viderit illud,
esse sinus penitus, tantos emergere fontes
cum videt ac torrentem imo se mergere hiatu?

sed hic quoque Italorum artem deprehendimus. etenim haec tria verba *non viderit illud* a libris Helmstadiensi et Rehdigerano absunt: in Cantabrigensi scriptum est *quis enim non credit inanis Esse sinus penitus*, idemque in Aldino exemplari invenitur, quod tamen rectius CREDIT exhibit. hoc autem modo quin carmen restituendum sit neque libri Cantabrigiensis auctoritas dubitare sinit neque ipsius orationis concinnitas. nam nequis putet non posse inanes dici sinus ex quibus magni fontes emergant, tenendum est inania opponi solidis. mox imo recte scriptum est in libris olim impressis, *uno* vitiose in codicibus Cantabrigiensi Helmstadiensi Rehdigerano. tum ab eisdem tribus codicibus *se MERGERE* servatum est, cum impressi in depravato *se emergere* ¹¹ conspirare videantur. illud autem permirum est, *torrentem*, quod impressi habent, ita placere potuisse ut nemo de eius veritate dubitaret. nam et fontium vocabulum cum alia voce non recte permutatur et ipsum hoc torrentis vocabulum neque propter significationem aptum est neque singulari numero dicendum erat. atqui *torrentem* Itali fecerunt, cum codicum vitium rectius emendare nescirent: in codicibus enim Cantabrigensi et reliquis duabus scriptum est *torrens*. itaque hos versus ita conformabimus, *quis enim non credit inanis Esse sinus penitus, tantos emergere fontes* *Cum videt ac totiens imo se mergere hiatu?*

Proximi versus depravatissimi sunt, neque eorum emendatio

*) [Edidit Hauptius rodit humum lima]

ita nobis successit ut nihil dubitemus aut brevi disputatione sententiam nostram declarare possimus. quam ob rem nunc quidem hanc carminis partem praetermittimus: quamquam hic quoque sunt de quibus paucis absolvere posse videamur. veluti nemo semel monitus negabit haec esse ineptissima,

*flumina quin etiam latis currentia rivis
occasus habuere suos:*

si scripseris RIPS, recta omnia erunt atque concinna. sed, ut diximus, hac parte poematis relictâ ad aliam transeundum esse videtur, ubi codex Cantabrigiensis ipsa poetæ verba conservavit, cum alii libri ea omittant, in aliis quod versui deerat Italorum commento completum sit. verum hic quoque pedetentim procedemus ac longiorem sententiarum inter se nexarum seriem persequentes vitia ex carmine tollere studebimus et quasi per loca aspera et sentibus plena viam nobis faciemus usque dum illuc perveniamus ubi diu oblitterata poetæ verba ex libro Cantabrigensi carmini restituere possumus. itaque poeta postquam avaritiam hominum descriptis, sic pergit (v. 273),

*sic avidi semper qua visum est carius istis
implendus sibi quisque bonis.*

ita liber Cantabrigiensis et olim impressi: *quovis est* (vel *quo visum*, nam hoc incertum est) *carior ipsis Florentinus; bonus Helmstadiensis et Rehdigeranus.* nihil ex his quod probari possit homines docti elicuerunt. scribendum est autem *Sic avidi semper qvod visum est carius, istis INPLEMVS SE quisque bonis.* secuntur haec,

ast artibus illis

*sunt animi fruges; haec rerum est optima merces,
scire quod occulto terrae natura coerget,
nullum fallere opus, non mutum cernere sacros
Aetnaei montis fremitus animosque furentis,
non subito pallere sono, non credere subter
caelestis migrasse minas aut Tartara rumpi,
nosse quid intendat ventos, quid nutritat ignes,
unde reperta quies et iuncto foedere pax sit.*

in his, ut leviora non nulla aliaque a viris doctis recte curata ¹² omittamus, *ast artibus¹ illis* Iacobo debetur: libri *est artibus istis*, nisi quod Cantabrigiensis et impressi ILLIS habent. deinde **EST OPTIMA** Florentinus: ceteri *maxima*. in proximo versu **QVOD FRI-**

Cambridge University Press

978-1-108-06662-4 - Opuscula: Volume 2

Moritz Haupt Edited by Ulrich Von Wilamowitz-Moellendorff

Index

[More information](#)

INDEX LECITIONVM AESTIVARVM 1854.

41

derici Christiani Matthiae emendatio est: libri *quid*. tum **MVTVM** scripsimus, cum Florentinus liber *multum* praebuisse: *multo*, quod in ceteris est, Scaliger in *mutos* mutaverat.*⁾ deinde **RVMPI** praecclare Florentinus: Cantabrigiensis cum ceteris *mundi*. denique **IVNCTO**, Menkeni et Schraderi inventum, non dubitavimus verum esse: non apte libri *multo*. pergit poeta

*credendum est etenim ventorum existere causas
sub terra similes harum quas cernimus extra,
cum crescunt animi, penitus seu forte cavernae
introitusve ipsi servent, seu terra minutis
rara foraminibus tenues in se abstrahit auras,
pleniū hoc etiam, rigida qua vertice surgens
illinc infestis atque hinc obnoxia ventis
undique diversas admittere cogitur auras
et coniuratis addit concordia vires,
sive introrsus agunt nubes et nubilus auster,
si forte inflexere caput tergoque feruntur.*

versu primo **ETENIM** recte scripsit Iacobus, cum legeretur antea *etiam*, idemque versibus primo et secundo suum locum eximie restituit, cum traiecti essent in alienum; idem denique *concrescant*, quod libri habent, in **CVM** *crescant* mutavit: sed scribendum erat **CVM** **CRESCVNT**. tum **INTROITVSVE** recte Scaliger: libri *introitusque*. deinde **SVRGENS** ex Florentino libro adsumpsimus: ceteri *surgit*. in eodem versu Florentinus et Helmstadiensis *quia*; sed *qua* *praestare* videtur, quod ceteri habent.^{**) in proximo} versu verum putavimus quod Iacobus scripsit **INFESTIS**: Florentinus *in sessa est*, ceteri *infestus*. tum *obnoxia VENTIS* Florentinus: Cantabrigiensis *obnoxia vitis*, Rehdigeranus *obnoxia vites*, Helmstadiensis *obnoxia vel obnixa vitis*, impressi *obnoxius intus*. deinde **COGITVR** egregia est Ioannis Schraderi emendatio, consignata in adversariis quibusdam eius quae bibliotheca regia inter libros Diezianos servat: ineptum est *cogitat* quod libri habent virisque doctis placuit. denique *si forte INFLEXERE* Iacobo debemus: libri scripti *seu forte flexere*, impressi *seu forsitan flexere*.

*⁾ [276 *quid in editione servatum est, ubi praeterea 284 intendat in imbellat est mutatum.* 277 *Cantabrigiensis multos habet.*]

**) [*Edidit Hauptius 286 introitusque, 287 abstrahat, 288 hac et surgit.* *eodem versu quia etiam Cantabrigiensis.*]

quod sequitur *tergo*, pro *tergo* maris obscurius poeta dixit, si tamen dixit. hanc autem incumbentis marinis fluctibus austri descriptionem ita continuat ut dicat undas ab austro subter terram impelli, ab undis auras fugari et corpora conglomerari:

*praecipiti deiecta sono premit unda fugatque
torpentes auras pulsataque corpora denset.*

DEIECTA - VNDA Scaligero debetur: libri *delecta* et *una*, et inepte impressi *praecipites* et *fugato*. **TORPENTES** scribendum esse vidit Antonius de Rooy: *torrentes*, quod in Helmstadiensi et Rehdigerano et in exemplari Aldino est, vel quod Cantabrigiensis et olim impressi habent *torrentesque*, *) ab hoc loco alienum est. ¹³ sed *praecipiti deiecta sono* non minus alienum est, aptissimum autem quod inde facili opera facimus, *praecipiti deiecta SINV.* proximum carmen eadem facilitate emendare frustra studuimus: nam vitiosum esse certum est,

*nam veluti sonat ora duc Tritone canoro
(pellit opus collectus aquae victusque movere
spiritus et longas emugit bucina voces),
carmineque irriguo magnis cortina theatris
inparibus numerosa modis canit arte regentis,
quae tenuem impellens animam subremigat unda,
haud aliter submota furens torrentibus aura
pugnat in angusto et magnum commurmurat Aetna.*

adscripsimus hos versus, si a levioribus non nullis discesseris, quales in codice Cantabrigiensi inveniuntur. et rectissime in hoc libro atque in Rehdigerano pariterque in exemplari Aldino legitur *subremigat VNDA*: *undam* enim, quod in reliquis libris est, refellitur hydraulici organi ratione. sed in primo versu *sonat ora duc* monstrorum est, neque melius Helmstadiensis *sonat ora diu*, Rehdigeranus *sonat ore diu*, impressi *sonitura diu*, unde a Scaligero factum est *sonit aura diu*, idque Iacobo placuit, sed ut *sonat* scriberet. verum enimvero diurnitatis notio hic ineptissime admiscetur. nos etsi probabilem emendationem adsequi non potuimus, illud tamen videmur videre, loci vocabulum requiri. veluti non inepte quis coniceret naumachiam a poeta commemoratam esse, quem ad modum Suetonius in Claudio Caesare cap. 24 narrat in naval iugitate quam Claudius in lacu Lucrino edidit

*) [Cantabrigiensis *torrentes* habet.]

classes Siculam et Rhodiam concurrisse *exciente bucina Tritone argenteo*, qui e medio lacu per machinam emerserat. itaque hoc non malum esset, *Nam veluti sonat ora lacus Tritone canoro*, modo aliqua esset mutationis probabilitas. vel, ut licentius etiam ludamus, placere posset, si scriptum esset *veluti sonat euripus*. sed tantum abest ut eiusmodi coniecturis operaे pretium fecisse nobis videamur, ut hunc versum doctioribus emendandum commendemus. *) *collectus aquae* quin collecta esset aquae vis dubitari potuisse miramur. nam sane aqua et spiritum movet et moto spiritu opus hydraulicum impellit: *opus enim rectissime Iacobus ex Helmstadiensi codice adsumpsit*, cum *opes* esset in reliquis libris. dixit de *collectu aquae* Lachmannus in commentario ad Lucretii III 444, sed ut Aetnae forte non recordaretur. quod autem dicitur *victus moveare spiritus*, similiter et alii locuti sunt et, nisi fallimur, idem hic poeta alio loco. nam cum hoc carmen omnino foedissimis mendis inquinatum sit, ne illi quidem duo versiculi (567 568), quibus summa eius comprehenditur, aut ita scripti sunt in libris ut intellegi possint aut ita ut fieri par erat ab hominibus doctis emendati. scripti sunt in Cantabriensi hoc modo,

terra foraminibus vires trahit, urget in artum

spiritus incendi vivit per maxima saxa:

neque reliqui codices nisi minutis quibusdam vitiis diversi sunt aut Italorum arte,¹ qui *incendit vivus* scripserunt, quicquam pro-¹⁴ ficiimus. verum haec quomodo emendanda essent declarata per totum carmen doctrina monstrare poterat. scripsit enim poeta *Terra foraminibus vires trahit, urget in artum Spiritus, incendi VINCVNTVR maxima saxa.* lapides molares dicit. sed ut ad institutam disputationem revertamur, post illa verba, *magnum commurmurat Aetna, hi versus secuntur* (nam duobus illis versibus *Credendum est etenim et Sub terra similes suum locum praecclare adsignasse Iacobum supra dictum est*),

at cum densa cremant inter se corpora, turba

elisa in vacuum fugiunt et proxima secum

momine torta trahunt, tuta dum sede resistunt.

hic quoque Iacobus egregio acumine ex librorum vitiositate ea quae res postulabat elicuit. sed unius tamen verbi emendatio

*) [Edidit Hauptius: nam veluti sonat hora die.]

desiderari videtur. nam incendium nondum hic commemorandum erat, neque ex ipsius poetae doctrina incendium primaria erumpentium ex Aetna corporum causa est, sed ventorum spiritus. videtur hoc sensisse Schraderus cum *crepant* scribendum esse coniceret: neque enim virum Latini sermonis scientissimum in eo haesisse putabimus quod *inter se*, ut solet, de mutua actione dictum est. sed *crepant* tamen probari nequit, quoniam fragoris significatio in his versibus minus apta, certe supervacanea est. immo proprie dixisse videtur poeta *At cum densa PREMVNT inter se corpora* *) hinc ita pergit ut ventorum tumultus in Aetna non tantum eo quem antea exposuit modo, sed etiam ex aliis causis oriri posse concedat:

*quod si forte mihi quaedam discordia tecum est
principiisque aliis credas consurgere ventos,
non dubium rupes aliquas penitusque cavernas
proruere ingenti sonitu casuque propinquas
diffugere inpellique animas, hinc crescere ventos.*

PRORVERE quicumque primus scripsit (legitur autem in exemplari Aldino), recte fecisse putandus est, quamquam etiam Cantabrigiensis liber provehere habere videtur. sed egregium est **CRESERE**, quod idem liber nobis praebuit: ceteri *cernere*; sed ortus ventorum rectius hic quidem commemoratur quam dimicatio. adduntur hi versus,

*aut umore etiam nebulas effundere largo,
ut campis agrisque solent, quos oblitus amnis :
vallibus exoriens caligat nubilus aer ;
flamina parva ferunt auras (vis proxima vento est) ;
eminus adspirat fortis et verberat umor.
atque haec in vacuo si tanta potentia rerum est,
hoc plura efficiant infra clusique necesse est.*

in primo versu cum nullo artificio effici posse videatur ut *effundere* recte positum esse censeamus, non dubitamus poetam ita scripsisse *Aut umore etiam nebulas SE FVNDERE largo*: suspensa est autem oratio ex illo quod praecessit *non dubium*. mox¹ *oblitus* codices Helmstadiensis et Rehdigeranus et pars impressorum: alia pars *obruit*, idque placuisse non mirum est; nunc postquam Cantabrigensem codicem *abliuit* habere conperimus, aptius verbum

* [Edidit Hauptius: et condensa premunt.]

INDEX LECITIONVM AESTIVARVM 1854.

45

quaerendum esse adparet: neque enim amnibus inundari campos opus est ut nebulae per eos fundantur; satis est, si vicini sunt amnibus. itaque scribere praestat *quos ADLVIT amnis.* deinde **FLAMINA** ex impressis non nullis recepimus, et idem habere videtur codex Cantabrigiensis: nam *flumina*, quod in reliquis est, *) probari nequit, cum, sive nebulae sive auras flumina ferre dici putamus, parva ea flumina adpellari ineptum sit; debebat certe dici *vel parva flumina.* itaque putabimus describi auras ex nebulis et umore primum parvo flatu orientes, deinde paullatim fortiores et maiore spiritu proruentes. in paenultimo versu valde laudanda est sagacitas Iacobi, qui **RORVM** scribendum esse intellexit ubi in libris *rерum* legitur. denique in ultimo versu praestat fortasse *intra*, quod in codice Helmstadiensi a correctore scriptum est: quamquam defendi potest *infra.* has igitur quas enumeravit ventorum subterraneorum causas complexus poeta ita pergit,

*his igitur causis extra penitusque coacti
exagitant venti, pugnant in faucibus, arte
pugnantes suffocat iter, velut unda profundo
terque quaterque exhausta graves ubi perbibit euros,
ingeminant fluctus et primos ultimus urget;
haud secus adstrictus certamine tangitur ictu
spiritus involvensque suo sibi pondere vires
densa per artantes exercet corpora venas
et quacumque iter est properat transitque morantem,
donec confluvio revolutis aestibus amnis
exilit atque furens tota vomit igneus Aetna.*

primos duos versus rectissime Scaliger constituit, putamusque Iacobum ei hodie adsentiri: nihil enim sunt quae libri habent *agitur* et *coactis* (a quo non diversum est quod in codice Helmstadiensi scriptum est *coactus*) et *ventos.* **) in versu tertio vera verba *pugnantes suffocat iter*, quae in reliquis libris leviter depravata sunt, totidem litteris scripta habet Cantabrigiensis. mox **INGEMINANT** a Scaligero accepimus: nam *ingeminat* defendi quidem potest, sed ut in tanta mutationis facilitate elegantior oratio praefferri debeat. deinde **ARTANTES** optima est Iacobi emendatio: libri

*) [Est etiam in Cantabrigiensi.]

**) [Edidit Hauptius in fine v. 520 artum.]

ardentes. tum *venas* ex Aldino exemplari receptum est: codices *vires*, in olim impressis, qui *nervos* habent, a vera emendatione aberratum est. paenultimus versus is est in quo, ut supra diximus, deleta in reliquis codicibus poetae verba a Cantabrigiensi restituuntur. nam haec tria verba *revolutis aestibus amnis* complementum sunt Italorum, scitum illud quidem, sed tamen falsum. etenim in codicibus Helmstadiensi et Rehdigerano haec scripta sunt, *donec confluvio veluti*, omissa reliqua versiculi parte. eam Cantabrigiensis praebet, *donec confluvio veluti SIPHONIBVS*

16 ACTVS *Exilit atque furens tota vomit igneus Aetna.*¹

Restat aliis versus cuius partem in ceteris codicibus omis-
sam eiusdem Cantabrigiensis libri adiumento recuperamus. nam
in ea parte carminis in qua aliae praeter Aetnam regiones igne
ardentes enumerantur haec vulgo leguntur (v. 440),

insula durat adhuc Vulcani nomine sacra;
pars tamen incendi maior refricit et alto
iactatas recipit classes portuque tuetur;
quae restat, minor et dives satis ubere terra est,
sed non Aetnaeis vires quae conferat illis:
atque haec ipsa tamen iam quondam extincta fuisset,
ni furtim adgereret secretis callibus humor
materiam silvamque suam pressoque canali
huc illuc ageret ventos et pasceret ignes.

in his quod in initio legitur *durat adhuc*, a Scaligero excogita-
tum est: libri enim non haec duo vocabula habent, sed unum
inexplicabile *durata*. neque tamen Scaliger verum adsecutus
esse videtur. nam hoc perplexe dictum est, etsi maior pars
incendii refrixerit, ipsam tamen insulam Hieran adhuc durare:
quasi mirum sit eam non evanuisse. rectius Iacobus quae fuerit
poetae sententia intellexit. satis enim adparet eum hoc dixisse,
insulam esse cui ipsius Vulcani nomen propter ignem ex ea
erumpentem inpositum sit, maiorem tamen incendii partem refri-
xisse, cum non amplius suppeteret idonea lapidis molaris copia:
nam tota haec carminis pars in eo versatur ut demonstret *pa-
bula et ardendi causam lapidem esse molarem*. putamus autem
nos pravum illud librorum *durata* probabiliter corrigerem poetae-
que quod scripsit ita restituere posse, *Insula CLARATA EST Vul-
cani nomine Sacra*. dicebatur enim haec insula pleno nomine
'Ιερὰ Ἡφαιστοῦ. paullo post dubitari potest utrum verum sit quod

*ex parte impressorum recepimus, an Sed non Aetnaeis vires quas conferat illi, ut alii Italorum scripserunt: codices enim quae aut que habent et illi, Helmstadiensis et Rehdigeranus *etnei*.^{*)} deinde ADGERERET, Itali alicuius et Wernsdorfii coniecturam, Iacobus recte recepit: codices et plerique impressi *adgeneret*. quod sequitur secretis *callibus humor* omittunt codices Helmstadiensis et Rehdigeranus. hic quoque omissam versus partem ab Italis suppletam esse post ea quae adhuc disputavimus non poterit dubitari, cum longe aliud praebeat codex Cantabrigiensis. sed ipsa etiam verba suspicionem movere debebant: nam *suum materiam* umor in Sacram insulam adgerere vix recte dicitur. contra plane egregium est quod Cantabrigiensis liber conservavit, *ni furtim adgereret SICVL VICINIA MONTIS Materiam silvamque suam pressoque canali Huc illuc ageret ventos et pasceret ignes.* comparari possunt quae Solinus cap. vi habet: *in freto Siculo inquit Hephaestiae insulae xxv milibus passuum ab Italia absunt. Itali Vulcanias vocant: nam et ipsae natura soli ignea per occulta commercia aut mutuantur Aetnae incendia aut subministrant.* recepimus autem PASCERET, a plerisque omnibus merito probatum, ex Aldino exemplari:¹ posceret, mendum codicis Cantabrigiensis et reliquorum librorum, falsa explicazione defensum est. idem pascendi verbum antea aliter depravatum est (v. 427),*

illuc materiae nascentis copia maior:

sed genus hoc lapidis (certissima signa coloris)

quod nullas adiunxit opes, elanguit ignis:

scribendum est enim *materiae PASCENTIS*, gavisique sumus cum idem invenisse Schraderum intelleximus. sed post illos de Sacra insula versus ea secuntur quae praeterire nolumus, cum duo ex eis vitia certa emendatione tolli possint,

sed melius res ipsa nota est spectataque veris

occurrit signis nec tentat fallere pestem.

ita impressi. sed prima verba quam invenusta sint neminem potest fugere: accedit quod libri Helmstadiensis et Rehdigeranus non habent *nota est*, sed *nocte*. ultimum vocabulum plane absurdum est, Iosephus autem Scaliger, qui *pestis* scripsit, formam sane orationis meliorem reddidit, sed in inepto vocabulo non

^{*)} [Edidit Hauptius 444: Aetnaeo — igni. *habet Aetnei etiam Cantabrigiensis.*]

recte adquievit. nam ut largiamur ignes ex Aetna erumpentes et agros devastantes pestem dici posse, tamen ab his versibus totaque hac sententiarum serie calamitatis commemoratio plane aliena est. quid multa? scripsit poeta *Sed melius res ipsa notis spectataque veris Occurrit signis nec temptat fallere TESTEM.* et *notis* quidem Cantabrigiensis liber praebuit, *pestem* illam carmini perniciosa ratiocinatione et coniectura depulimus.

Sed ultra hos versus progredi reliquamque carminis partem non minus depravatam persequi nolumus. satis enim ostendisse nobis videmur menda multo quam plerique opinantur plura atque graviora ab hominibus doctis in hoc poemate reicta esse, tolli autem ea posse partim codicis Cantabrigiensis ope, saepius rationis usu atque accurata cogitatione. nam haec prima carminis interpretandi atque emendandi lex est, ne monstrosa exemplarum depravatione occaecati hunc poetam aut ea dixisse quae sine mentis perversitate dicere non potuit aut alia quam ceteros Romanos lingua usum esse existimemus. immo quo diutius hanc Aetnam tractavimus, eo clariss nobis adparuit pauca in ea inveniri quae communem illum et maxime a Vergilio stabilitum poetarum Latinorum sermonem relinquant, nisi quod hic illic Lucretianae orationis imitationem adgnoscimus. neque caret haec Lucretii imitatio sua quadam in emendando carmine utilitate, quam aliquot exemplis volumus demonstrare.

Eorum primum ex ea poematis parte petimus in qua ignes in Aetna a ventis excitari docetur. leguntur ibi haec (v. 359),

*sive peregrinis igitur propriisve potentes
coniurant animae causis, ille impetus ignis
et montis partes atra subvectat arena
vastaque concursu crepitantia saxa fragoris
ardentesque simul flamas ac fulmina rumpunt.*

in altero versu *ignis* accusativum casum esse non dubitamus, quamquam viris doctissimis genetivus esse visus est: habet autem *ignes* liber Cantabrigiensis. mox subvectandi verbum non aptum videtur, certe nusquam ita dictum esse meminimus. videntur id sensisse Itali: nam impressi libri *subvertit* habent. nos autem ut **SVBIECTAT** scribendum censemus Lucretiani versus faciunt in libro vi (697), *hac ire fatendumst Et penetrare maris penitus perculta in apertum Atque efflare foras, ideoque extollere flammarum Saxaque subiectare et arenae tollere nimbos.* **CREPITANTIA**

INDEX LENTIONVM AESTIVARVM 1854.

49

recte scripsit Iacobus: libri *trepidantia*. in fine non opus est ut Ianum Vlitiū sequamur et *flumina* scribamus igneumque lapi-dum molarium flumen intellegamus de quo v. 484 haec dicun-tur, *liquor ille magis fervere magisque Fluminis in speciem mitis procedere tandem Incipit et pronis demittit callibus undas*. ita enim haec scribenda sunt: *prunis* Cantabrigiensis habet, ceteri *primis* vel *primus*, tum omnes *collibus*; verum *CALLIBVS* rectissime scripsit Scaliger, *PRONIS* Schraderus et Wassenberghius. sed non adsequimur cur *fulmina* responda sint, quae confirmantur Lu-cretii versibus 1722 ss. *Hic est vasta Charibdis, et hic Aetnaea minantur Murmura flammarum rursum se colligere iras, Faucibus eruptos iterum vis ut vomat ignis Ad caelumque ferat flamma fulgura rursum*. Petronius in bello civili v. 136 *iamque Aetna voratur Ignibus insolitis et in aethera fulmina mittit*. verum ut oratio pulchra et concinna fiat scribendum est *Ardentesque simul FLAMMÆ SE ac fulmina rumpunt*. sed ut hic *fulmina* recte dici contendimus, ita illo loco, quem modo adscripsimus, ubi lique-facti lapidis molaris flumen undas pronis callibus demittere di-citur, specie non dissimile telorum vocabulum nullo modo tole-rari posse adseveramus. dicuntur ibi de undis illis haece (v. 487),

*illæ paullatim bis sena in milia pergunt:
quippe nihil revocat, curtis nil ignibus obstat,
nulla tenet frustra moles, simul omnia pugnant,
nunc silvae rupesque vocant haec tela solumque
ipsum adiutat opes facilesque sibi induit amnis.*

omnia hic mirabilia atque absona sunt, curti ignes, pugna om-nium, cum tamen nihil flumini igneo repugnet, silvae rupesque flumen illud vocantes, telorum vocabulum hic quidem ineptissi-mum, solitarium *nunc*, cui alterum non respondet. sed *silvae vocant* Iacobi non felix coniectura est: Helmstadiensis *silvae notat* habet, Rehdigeranus *silvae notant*, propius vero Cantabri-gensis et impressi *silvas vocat*.¹ tum *PVRGANT* impressi rectissime. *IPSVM* Clericus invenit: libri Cantabrigiensis Helmstadiensisque et impressi *ipsa*, Rehdigeranus *ipsam*. denique *AMNIS* Cantabri-gensis, quod verbum Clericus requiri vidit: ceteri libri *annis*. omnia ita emendamus, *Quippe nihil revocat CVRSVS, nil ignibus obstat, Nulla tenet frustra moles, simul omnia purgant: Nunc silvas rupesque VORANT, NVNC TERRA solumque Ipsum adiutat opes facilesque sibi induit amnis.*

Sed ut illuc unde degressi sumus redeamus, post illum versus *Ardentesque simul flammae se ac fulmina rumpunt carmen ita continuatur* (v. 364),

19 *haud aliter quam cum prono iacuere sub austro¹
aut aquilone fremunt silvae, dant bracchia nodo
implicitae ac serpunt iunctis incendia ramis.*

ac serpunt Wernsdorfius, ut antea Scaliger et *serpunt* proposuerat: codices *haec serpunt*, impressi partim ita, partim *hac serpunt*. tum *iunctis libri* praeter Helmstadiensem, qui quod habet *vinctis* cur praestare altero putemus nulla causa est.* *serpendi verbum non aptum esse intellexit Iacobus*: sed quod scripsit *ac fervent* non videtur posse probari, cum mirabile sit, quod remanet, silvas bracchia nodo dare, quasi in captivitatem se abduci patiantur. immo incendia dari ab arborum ramis poeta dixit: scripsisse enim eum non dubitamus *dant bracchia nodo INPLICITA AC STIRPES iunctis incendia ramis*. nimirum notissimos Lucretii versus (v 1096 ss.) imitatus est, *Et ramosa tamen cum ventis pulsa vacillans Aestuat in ramos incumbens arboris arbor, Expribitur validis extritis viribus ignis Et micat inter dum flammam fervidus ardor, Mutua dum inter se rami stirpesque teruntur.* quod bracchiis etiam rami additi sunt, utitur hic poeta haud raro magna dicendi ubertate et non numquam adeo loquacitate peccat, neque dissimile est quod Vergilius dixit georgicorum II 296 *Tum fortis late ramos et bracchia tendens Huc illuc, media ipsa ingentem sustinet umbram.*

Denique eiusdem Lucretianae orationis comparatione depravissimos quosdam Aetnae versus restituemus. nam postquam poeta lapidem molarem certa venturae flammae pignora praemittere dixit, ita pergit, si libris fidem habemus (v. 462),

*nam simulaque movet viris turbamque minatur,
diffugit extemploque solum trahit iactaque ramis.*

VIRIS diu est quod scribendum esse vidimus: inventum postea est in codice Cantabrigiensi. *curis*, quod ceteri libri habent, homines docti frustra studuerunt emendare, cum talia quaerent qualia ab horum versuum sententia plane aliena sunt. nam hoc ipsum dici requiritur, simulatque lapis molaris vires moveat, i. e. incendatur et flamas iaciatur, terrae solum protinus concuti

*) [Praetulit in editione Hauptius vinctis.]

INDEX LECITIONVM AESTIVARVM 1854.

51

et quasi diffugere. quare recte sane Wernsdorfius, cum in libris *minutus* legeretur, *MINATVR* scribendum esse vidit, et habet certe *minatus* codex Cantabrigiensis: cetera neque Wernsdorfius neque alii expedire potuerunt. nam quo minus in *ramis* illis *remos* latere putemus, quae Iacobi opinio fuit, et illud impedit quod nullis machinis effici posse videtur ut versus *remos* recipiat, et magis etiam quod terrae motus sane comparari potest cum iactata navi, sed inepte in hac quidem comparatione navigii iactatio non fluctibus sed remis fieri dicitur. nobis, simulatque intelleximus *trahit*, quod Vlitius non absurde putavit in *tremit* mutari debere, ea ratione dictum esse quam Lachmannus in commentario ad Lucretii vi 1190 explicavit, Lucretiani carminis recordatio hanc certissimam (neque enim dubitamus) emendationem suppeditavit, *Nam simulatque movet viris turbamque minutur, Diffugit extemploque solum trahit ATQVE TREMISCIT.* similiter enim loquitur Lucretius, *In manibus vero nervi trahere et tremere artus.*¹

Sed hic finem scribendi facimus. etsi enim hoc carmen,²⁰ si quando emendatum fuerit, multo quam in hac tanta depravatione videri potest melius visum iri speramus, tamen ne tum quidem plerorumque carminum Latinorum mediocritatem supererabit. quare verendum est ne, si diutius hic in eo emendando versemur, materiae tenuitatem longa disputatione obtegere frustra velle videamur. illud enim confidimus non reprehensum iri, quod maxima disputationis nostrae pars conjecturis continetur. nam hac coniendi arte, quae propter inconsideratam non nullorum temeritatem ignominia quadam inmerito affecta est, neque grammaticorum studia carere possunt neque ullum est doctrinæ genus quod ab ea abstinere queat, quandoquidem ne illa quidem severissima mathematicorum disciplina conjecturam prorsus a se removet, sed non numquam primarii in ea arte viri egregia inventa, quae subtili argumentatione confirmant, conjecturali quadam anticipatione primum complexi sunt. itaque vos, carissimi iuvenes quibus haec scripsimus, largissima quam vobis commendamus aestivarum scholarum copia ita utimini ut et ea quae longo usu diuturnisque hominum doctorum studiis explorata ac stabilita sunt perdiscatis et ipsi quoque inventis veteribus diuque probatis nova ac probabilia ratiocinando et coniiendo in suo quisque litterarum genere addere paullatim adsuescatis.



4*

Cambridge University Press

978-1-108-06662-4 - Opuscula: Volume 2

Moritz Haupt Edited by Ulrich Von Wilamowitz-Moellendorff

Index

[More information](#)

INDEX LECTIÖNVM HIBERNARVM 1854.

Cum nuper scholarum per hanc aestatem habendarum enumerationi disputationem aliquam nostram adderemus, docuimus versus non nullos Aetnae, carminis a librariis valde depravati, cum forte amissis aliquot verbis deminuti essent, completos deinde esse rudi arte et quae mentem poetae minime adsequetur. similiter et in aliis veterum poetarum carminibus factum est et, nisi fallimur, aliquotiens in elegiis Sex. Propertii: nam qui hunc poetam praeterea Aurelium nominant, eos opinionem sequi pervulgatam quidem sed nullo cui quicquam fidei haberi possit testimonio confirmatam et ipsam per se reiciendam ante conplures annos in actis societatis eruditorum Saxonicae satis demonstratum est [*supra* i 280 ss.]. verum in Propertii carminibus non ea utimur commoditate ut pro falsis versuum complementis ea quae poeta scripsit ex vetere aliquo libro recipere possimus, quem ad modum in Aetna Cantabrigiensis codicis ope grammaticorum fraudes ac fallacias confutavimus, sed comparatis inter se bonis codicibus eisque quae dici aut potuerunt aut debuerunt accurate ponderatis partem versuum non nullorum, cum ipsis Propertii verba periissent, commentis expletam esse intellegimus; quae poeta scripsit, etsi in nullo libro conservata sunt, at ratiocinando tamen indagari fortasse possunt. bonos autem codices, quorum comparatione testium illa interrogatio quam vocabulo in hunc significatum detorto sed in arte necessario recensionem adpellamus in Propertii carminibus tota continetur, libros dicimus Neapolitanum et Groningenum, non prorsus quidem illos a mutationibus de industria factis liberos, quas ipsas altero cum altero diligenter collato cognoscimus, sed non contaminatos constanti emendandi studio quo Italorum temeritas reliquos plerosque libros depravavit. meliores non nulli codices, qui ad illos duos proxime accedunt, nihil tamen continent

INDEX LECTIONVM HIBERNARVM 1854.

53

quod rectius quam in illis scriptum sit quin, ut Caroli Lachmanni verbis utamur, ne mediocrem quidem coniectorem fefelleret. in codice autem Bernardini Vallae, quo Franciscus Puccius usus est, haud pauca quae in Neapolitano et Groningano vitiosa sunt recte emendata erant, sed ut nulla sit eorum auctoritas nisi quam habet veritas coniicio inventa. nam interpolatum fuisse hunc codicem liquido confirmare possumus: unde non levius suspicio oritur non fuisse antiquissimum, quem ad modum Puccius dicit, sed aut fefelleret specie vetustatis (et scimus saeculo quinto decimo quosdam librarios antiquiorum litterarum formas imitatos esse)¹ aut Puccium nos fallere non rara illis temporibus in aestimanda librorum vetustate magniloquentia. ex librorum igitur Neapolitani et Groningani comparatione ea quae de carminibus non nullis Propertii disputaturi sumus penderunt, quatenus quid in archetypo, ut dicunt, exemplari lectum fuerit explorabimus. utemur autem in commemorandis carminibus eis librorum elegiarumque numeris quos Lachmannus exemplaribus anno MDCCCXXVIII a se editis adscripsit: nam summam eorum quae anno MDCCCXV de librorum Propertianorum numero et divisione disputavit, etsi in quibusdam rebus quae nullum momentum habent erravit, nulla neque temere obloquendi neque contortas ratiunculas concludendi perversitate labefactatam esse existimamus.

Itaque in quarti libri carmine primo haec leguntur (v. 23 ss.),
omnia post obitum finge maiora vetustas:

maius ab exequiis nomen in ora venit.

nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces,

fluminaque Haemonio comminus isse viro,

Idaeum Simoenta Iovis cunabula parvi,

Hectora per campos ter maculasse rotas?

Deiphobumque Helenumque et Polydamanta et in armis

qualemcumque Parin vix sua nosset humus.

exiguo sermone fores nunc, Ilion et tu

Troia bis Oetaei numine capta dei.

nec non ille tui casus memorator Homerus

posteritate suum crescere sensit opus.

praeclara omnia sunt praeter illa, *Idaeum Simoenta Iovis cunabula parvi.* quem versum Lachmannus anno MDCCCXV, cum inceptum esse intellexisset vidissetque postrema duo eius verba

non scripta esse in libro Neapolitano, totum abiciendum esse censuit. non putamus totum ab aliena manu confictum esse, neque illud Lachmanno concedimus, in Ida Phrygiae nulla fuisse Iovis cunabula: cetera omnia rectissime disputavit. aliter visum est Hertzbergio, qui confidenter, ut fere solet, Lachmannum fraudem frustra suspicatum esse pronuntiavit. expectamus securam esse subtilem aliquam disputationem, aliquid ex recondito doctrinae thesauro depromptum: sequitur sermo levissimus, in quo neque accuratam Lachmanni argumentationem tetigit neque ad ea quae maxime consideranda erant animum omnino advertit. nam ut alia prorsus inutilia omittamus, sollemnem esse ait rerum Creticarum et Phrygiarum confusionem et profectus ab eo quod Strabo libro x p. 472 Cas. nominum in utraque regione similitudinem variis erroribus occasionem fuisse demonstraverit, unde matrem deorum, cuius cultum Strabo solis Phrygibus patrium vindicet, tamquam indigenam Cretenses sibi adseruerint, hinc igitur profectus ad has exclamaciones delabitur, ‘quid, si etiam Simois duplex fuit et ambiguum nomen? quid, si cum matre deum etiam Iovis originem usurpaverant vel Cretenses vel Phryges? nobis certe tam prona^l in tam cognatis fabulis confusione magis mirum videretur, si non fecissent, quam si fecissent. quid multa? satis locupletem testem eius rei Propertium, tam reconditarum fabularum investigatorem, censemus ut alienis exemplis non egeamus.’ in his illud quod de Simoente dicit absonum est: nam si Propertius omnino recte potuit in Phrygia Ida Iovis cunabula collocare, profecto potuit, modo apte id faceret, eorum mentionem cum Simoente coniungere etiam si nullus in Creta erat fluvius qui ita diceretur. neque cetera meliora sunt. nam Straboni tribuit quae Demetrii Scepsii sunt, Demetrii autem disputatio quorsum pertinuerit plane non quaesivit: si quaesivisset, poterat se a conjecturis abstinere. etenim Strabo in notissima quam de curetibus et corybantibus instituit disputatione haec inter alia adfert, φησὶ δὲ πάλιν ὁ Σκήψιος ἐν τῇ Κρήτῃ τὰς τῆς Πέας τιμὰς μὴ νομίζεσθαι μηδὲ ἐπιχωριάζειν, ὑπεναντιούμενος τῷ τοῦ Εὐριπίδου λόγῳ, ἀλλ’ ἐν τῇ Φρυγίᾳ μόνον καὶ τῇ Τρωαδί, τοὺς δὲ λέγοντας μυθολογεῖν μᾶλλον ἡ ἱστορεῖν, πρὸς τοῦτο δὲ καὶ τὴν τῶν τόπων ὄμωνυμίαν συμπρᾶξαι τυχὸν ἴσως αὐτοῖς· Ἰδη γὰρ τὸ ὄρος τό τε Τρωικὸν καὶ τὸ Κρητικόν, καὶ Δίκτη τόπος ἐν τῇ Σκηψίᾳ καὶ ὄρος ἐν Κρήτῃ· τῆς

INDEX LECTIÖNVM HIBERNARVM 1854.

55

δὲ Ἰδης λόφος Πύτνα ἀφ' οὗ Ἱεράπυτνα ἡ πόλις, Ἰπποκόρωνά τε τῆς Ἀδραμυττηνῆς καὶ Ἰπποχορώνιον ἐν Κρήτῃ, Σαμώνιόν τε τὸ ἑωθινὸν ἀκρωτήριον τῆς νήσου καὶ πεδίον ἐν τῇ Νεανδρίδι καὶ τῇ Ἀλεξανδρέων. fieri plane non potuit quin Demetrius simul cum Rhea et curetibus, quos eum eosdem atque corybantes putasse Strabo postea narrat, Iovis etiam cunabula, quem illa in Cretico antro Idaeo aut Dictaeo peperisse pervulgatis fabulis narrabatur, patriae suae vindicaret. id cum per se perspicuum sit, confirmatur quodam modo his Stephani Byzantii verbis, quae fortasse nos fugissent, nisi suppeditasset doctus libellus quem Schoemannus de Iovis incunabulis scripsit, Σχῆψις, πόλις Τρωική. Ξενοφῶν Ἐλληνικῶν τρίτῳ. ἐκλήθη δὲ ἀπὸ τοῦ σκῆψασθαι τὴν Ρέαν ἀντὶ τοῦ παιδὸς λίθον τεκεῖν. non dubitamus enim quin haec ex Demetrii diacosmo Troico sumpta sint, ad quem pleraque eorum quae Stephanus de Troicis regionibus minus vulgaria narrat referenda esse nobis videntur. ceterum originationem illam non minis in mente habet Strabo, cum libro xiii p. 607 haec dicit prudentissime, ἔστι δ' ἡ μὲν Παλαιόσκηψις ἐπάνω Κεφρῆνος κατὰ τὸ μετεωρότατον τῆς Ἰδης ἐγγὺς Πολίχνας· ἐκαλεῖτο δὲ τότε Σκῆψις, εἴτ' ἄλλως εἴτ' ἀπὸ τοῦ περίσκεπτον εἶναι τὸν τόπον, εἰ δεῖ τὰ παρὰ τοῖς βαρβάροις ἐν τῷ τότε ὄνόματα ταῖς Ἐλληνικαῖς ἐτυμολογεῖσθαι φωναῖς. sed omnem de ea re quam disputamus dubitationem tollunt ea quae ad hos versus Apollonii Rhodii (πι 132 ss.), Καὶ κέν τοι ὁπάσαιμι Διὸς περικαλλές ἄθυρμα, Κεῖνο τό οἱ ποίησε φίλη τροφὸς Ἀδρήστεια Ἀντρῳ ἐν Ἰδαιώρ ἔτι νήπια κουρίζοντι, a scholiasta adscripta sunt: ἀντρῳ ἐν Ἰδαιώρ, inquit, ἡ τῷ τῆς Κρήτης ἡ τῷ τῆς Τροίας. ἀντιποιοῦνται γάρ καὶ Τρωες τῆς τοῦ Διὸς γενέσεως, καθά φησι Δημήτριος ὁ Σκῆψιος. itaque fuisse qui Iovis incunabula in Phrygia Ida collocarent non suspicionibus et conjectura colligendum erat, sed certis testimoniosis doceri poterat, et quamquam plane adsentimur Schoemanno, qui reliquis praeter Creticas et Arcadicas de Iovis infantia fabulis vix alibi quam apud suos quoque populares fidem habitam esse existimat, tamen per se non videtur esse negandum potuisse! Propertium minus per- 6 vulgata fabula uti. verum in eo carmine de quo dicimus factum illud est ineptissime. nam ut concedamus, quod aegre facimus, fluvium ad quem quis natus est posse eius cunabula dici, at Achilli *comminus* *isse Idaeum Simoenta*, *Iovis cunabula parvi*, Propertius, audax poeta et non numquam durus, sed

minime insipiens, dicere nullo modo potuit: mixta est enim in hac Simoentis adversus Achillem pugnantis commemoratione fluminis notio cum notione dei fluviatilis, eadem plane ratione qua in Homericō carmine ex quo haec desumpta sunt amnium et fluctus et dei eadem imagine comprehenduntur; cuius prosopopoeiae pulchritudo istis Iovis cunabulis pervertitur. deinde Iovis cunabula non tantum inutiliter interponuntur, sed absurde. rectissime enim Lachmannus ‘haec ab omni’ inquit ‘huius loci sensu aliena ac prorsus diversa sunt. hoc enim poeta dicit, ignotam nunc Troiam fore, nisi omnia post obitum magis innotescerent. quid ad haec *Iovis cunabula parvi*, quae, si vel maxime in Phrygia fuissent, a Troiae exitio nomen ac famam lucrari non potuere?’ denique ne illud quidem Lachmannum fugit, Propertium postquam *flumina* dixerat non potuisse unius Simoentis mentionem facere, praesertim cum in Homericā narratione primariae partes Xanthi essent, frater ab illo tantum in auxilium advocaretur. quae cum ita sint, intellegere nobis videmur, in archetypo exemplari absumpto margine aut ultima versiculi parte aliqua labe obscurata haec tantum lecta esse, *Idaeum Simoenta Iovis*, eaque in codice Neapolitano sine complementi accessione servata esse: complevit deinde versum audacior homo qui Phrygiam Idam cum Cretica confunderet et forte reminisceretur eorum quae apud Ovidium legerat metamorphoseon VIII 99, *Iovis cunabula Creten*: neque enim doctius eum errasse putabimus. quod si quaerimus quid ipse Propertius scripserit, primum hoc adparet, cum Simoentis nomine eum coniunxisse commemorationem Scamandri, praeparatam illam plurativo fluminum vocabulo atque congruentem cum narratione Homericā. deinde Iovis nomen quo pertinuerit dictu non difficile est: putamus enim, si qui haec lecturi sunt, statim recordatuos esse versuum horum Homericorum, Ἄλλ’ ὅτε δὴ πόρον Ιἴκον ἐυρρεῖος ποταμῷο, Εάνθου δινήεντος, δὸν ἀθάνατος τέκετο Ζεύς. quorum cum meminisset Gustavus Wolffius, vir nunc libris diligentissime scriptis clarus, cum ante hos sedecim annos Lipsiae iuvenile studium ad Propertii carmina converteret, illud invenit quod quin ab ipso poeta scriptum sit non videtur posse dubitari, *Fluminaque Haemonio comminusisse viro*, *Idaeum Simoenta Iovis cvm PROLE SCAMANDRO*. itaque hoc in exemplaria carminum Catulli Tibulli Propertii quae anno superiore Lipsiae edita sunt iure receptum esse censemus.

INDEX LECTIÖNVM HIBERNARVM 1854.

57

Similiter iudicamus de versu quodam in carmine eiusdem quarti libri quinto. dicit ibi Propertius, ubi Venerem gravis intercepit aetas, tum se naturae mores perdiscere velle, tum quaesiturum (v. 39 ss.)

*sub terris sint iura deum et tormenta gigantum,
Tisiphones atro si furit angue caput,¹
aut Alcmaeoniae furiae aut ieunia Phinei,
num rota, num scopuli, num sitis inter aquas,
num tribus infernum custodit faucibus antrum
Cerberus et Tityo iugera pauca novem,
an facta in miseras descendit fabula gentis,
et timor haud ultra quam rogus esse potest.*

7

miramur non quaesitum esse diligentius quinam gigantes recte potuerint commemorari in hac poenarum quibus scelesti apud inferos cruciari dicebantur enumeratione, a qua Enceladum Aetna obrutum similesque fabulas alienas esse manifestum est. neque rectius putabimus gigantes et titanes a Propertio confusos esse: huius enim permutationis neglegentia etsi eis videbitur facile posse excusari qui sublato scriptorum et temporum discrimine exemplis omnia confici opinantur, in hunc poetam non temere transferenda est, praesertim in nomine simplici nullaque fabulae narratione declarato. unde ne Aloidas quidem, quos Vergilius Aeneidos vi 582 inter scelestos qui in Tartaro cruciantur memorat, Hyginus autem fabula xxviii serpentibus aversos alterum ab altero in columna deligatos esse scribit, gigantum nomine dici censemus, quamquam proterva Aloidarum immanitas in gigantes translata est passimque ab eis non discerni videntur. sed ἔχατό γχειρες etiam Hesiodii non numquam gigantes adpellantur, veluti a Statio Thebaidos iii 533, ubi haec dicit Manto, *Quid tibi monstrra Erebi, Scyllas et inane furentes Centauros solidoque intorta adamante gigantum Vincula et angustam centeni Aegaeonis umbram?* pariterque in libro viii 42 Ditem haec loquentem introduxit, *habeo iam quassa gigantum Vincula et aethereum cupidos exire sub axem Titanas miserumque patrem.* itaque hos in Propertii carmine intellegendos esse putaremus, nisi *iura deum et tormenta* scrupulum nobis inice-
rent (nam haec cogitationem alio ducunt), codex autem Neapolitanus, in quo totum illud *gigantum* non scriptum est, finem ver-
siculari in libro archetypo absumptum fuisse monstraret. quam

ob rem reiecto commenticio et fortasse ex Thebaide Statii sumpto supplemento poetae quod scripsit reddendum est. nimurum, quod omnium aptissimum erat, ea quae deinde persequitur hoc versu generatim complexus est, *Sub terris sint iura deum et tormenta NOCENTVM*. eodem in eadem re vocabulo Statius usus est silvarum II 7 416, *Seu magna sacer et superbus umbra Nescis Tartaron et procul nocentum Audis verbera.* occupavit autem emendationem Augustus Lobeckius, qui cum in Aglaophamo p. 43 hoc versu uteretur, *nocentum* scripsit, sive correxit de industria quae suae orationi non nominato poeta inseruit sive viro rectissimi iudicii, cum memoria hunc versum repeteret, ulti obvenit quod aptum est atque necessarium.

Transimus hinc ad aliud carmen quod quali vitio depravatum sit idem ille codex Neapolitanus similiter docere nobis videatur. in ultima enim libri tertii elegia adhortatur poeta Lynceum ut, quoniam in amorem tandem inciderit, relictis sapien^tiae studiis severiorisque poesis generibus suum aliorumque Graecorum Latinorumque poetarum exemplum imitetur et amatoris carminibus puellis placere studeat,

harum nulla solet rationem quaerere mundi,

nec cur fraternis Luna laboret equis,

nec si post Stygias aliquid restaverit undas,

nec si consulto fulmina missa tonent.

ita hi versus (54 ss.) in codice Groningano scripti sunt. verum *restaverit* illud ferri nullo modo posse multi intellexerunt, nemo accuratius exposuit Madvigio, qui quae in opusculis academicis alteris p. 410 disseruit adscribenda esse duximus. ‘quod editur’ inquit ‘non solum ob formam ipsam barbarem reprehendi debet (cui qui ex supino excusationem quaerunt nec reduplicatio meminerunt quam hoc verbum habet nec considerant ea ratione etiam sonavi similiaque defendi posse), sed quod ne *restiterit* quidem illo loco dici pro *restet* potest.’ addimus tertium vitii argumentum. nam si recte atque accurate loqui Propertius volebat, ne sic quidem dicere poterat, *si post Stygias aliquid restet undas*, sed debebat *aliquid nostri*. quocirca non probamus quod Lachmannus olim scribi posse putavit *restans erit*. omnino autem monstrum illud vocabuli non neglegentia alicuius librarii peperit, sed explendi non integri versus conatus. ultimas enim eius syllabas in codice archetypo aut legi non potuisse

INDEX LECTIONVM HIBERNARVM 1854.

59

aut prorsus absumptas fuisse liber Neapolitanus docet, qui haec tantum habet, *Nec si post Stygias aliquid restabit.* hinc factum est ut alius aliter quod deerat restituere temptarent. extitit enim qui ineptum illud *restaverit undas* scribebat; alius *restabit* retinuit, sed addidit *ad undas* (nam hoc in libris quibusdam non sinceris legitur), falsus hic quoque, cum neque duplex praepositio tolerari possit neque *post* idem hic esse atque *postea*; alius denique *restabit erumnas*, quod in Menteliano codice aliisque non nullis scriptum est, posuit, rudi plane atque inficeto invento, sed manifesto explendi versiculi conatu. itaque artis praecepta non satis curavit Fridericus Iacobus, cum hinc proficiisci emendationem posse existimans scripsisse Propertium suscipietur *Nec si post Stygias aliquid est arbiter undas* aut, si hoc displiceret (et ferri sane minime potest), *aliquis sedet arbiter*. hoc posterius, quod valde admiratur Hertzbergius, per se bonum est aliorumque Propertii versuum similitudine quasi blanditur quodam modo, verum esse, cum in libro archetypo eiusmodi quid scriptum fuisse incredibile sit, non putamus, nisi artis regulae susque deque habendae sunt: Fridericus autem Paleius, qui Propertii carmina cum suis commentariis nuper Londini edidit, librum vulgarem ac futilem, ridiculus est cum proprius a vero hoc abesse putat, *Nec si post Stygias aliquis manet arbiter undas.* nos, ne temere vagetur conjectura, omnem emendandi probabilitatem ex Neapolitani libri fide suspensam esse iudicabimus. verum quae scripta in eo libro sunt, *Nec si post Stygias aliquid restabit*, ita ut scripta sunt non videntur posse compleri et ad iustum carminis formam perduci. etenim neque aliud vocabulum suppetit quod Propertius¹ aptius scribere² potuerit quam *undas* neque, ut antea diximus, si *restabit* scripsit, omittere recte potuit *nostri*. itaque in codice archetypo putamus has tantum litteras, *restabi*, lectas esse, ex quibus, ut vocabulum saltem Latinum esset, factum est *restabit*: Propertius quid scripserit Evervinum Wassenberghium adsecutum esse existimamus, nimirum hoc, *Nec si post Stygias aliquid restabimvs vndas.* Stygias undas mortem dixit similiter atque libro II 9 26 locutus est, *Cum capite hoc Stygiae iam poterentur aquae.*

In his igitur tribus carminibus commenticia versuum complementa libri Neapolitani fide redarguimus: non desunt exempla factae in eodem libro mutationis. accidit hoc in eo carmine

de quo nunc disserere paucis volumus propterea ut novo documento confirmemus cavendum esse ne Propertium obscuras potius fabulas secutum esse aut neglegenter diversa permiscuisse credamus quam ea dixisse quae res postulabat, quem ad modum Iovis illa incunabula ac tormenta gigantum removimus. itaque Propertius in carmine tricesimo altero libri tertii, dum levitatem Cynthiae excusat, haec ait (v. 33 ss.),

*ipsa Venus, quamvis corrupta libidine Martis,
nec minus in caelo semper honesta fuit,
quamvis Ida Parim pastorem dicat amasse
atque inter pecudes accubuisse deam.
hoc et hamadryadum spectavit turba sororum,
silenique senes, et pater ipse chori,
cum quibus Idaeo legisti poma sub antro,
supposita excipiens naica dona manu.*

nihil in his est quod merito reprehendas, praeter unum vocabulum, de quo postea dicetur. sed primi duo versus, quos adscripsimus quales in codice Groningano leguntur, cum non intellegarentur (videbatur enim verbum deesse), non uno modo mutati sunt. etenim alias *Non minus* scribendum esse putavit, quod a Puccio adnotatum et in non nullis codicibus inventum est; aliis fortasse interrogatio elegantior esse videbatur, ut *Num minus* scriberent (nam hoc sane latere putamus in illo *Nunc minus* quod quidam libri habent); denique propter eandem causam in Neapolitano codice *fertur* positum est in primo versu, ubi in Groningano ceterisque libris verum vocabulum *quamvis* servatum est. minime autem opus est ut quiequam mutetur, dummodo haec, *Nec minus in caelo semper honesta fuit*, illud orationis schema continere intellegamus quod grammatici ἀπὸ κοινοῦ dicunt: nam quod proprie cum eis quae praecedunt ita coniectandum erat ut diceretur *non minus honesta fuit*, id cum sequentibus verbis, ad quae pariter pertinet, quadam anticipacione coniunctum est. sensit hoc Hertzbergius, sed veritatem levissima de causa respuit. verum de illo schemate, quo poetae Latini Alexandrinorum poetarum imitatione paullatim adsuefacti saepissime usi sunt, alias fortasse pluribus dicemus, nunc hi versus aliam disputationem postulant. miramur enim id quod 10 notissima Homerica fabula pervulgatum erat¹, Anchisam cum Venere in Ida concubuisse, sine exemplo in Paridem translatum

INDEX LCTIONVM HIBERNARVM 1854.

61

esse. nam quod Lachmannus olim putavit eundem Veneris et Paridis amorem a Theocrito aliquotiens commemorari, fefellit eum memoria neque in coarguendo iuvenili errore commorabimur. quod si artis antiquae opera circumspicimus, ne in his quidem invenimus quod cum Propertii versibus congruat, sed in uno aliquo speculo Etrusco, cuius apographon Eduardi Gerhardii tabula cxii exhibit, levem quandam similitudinis speciem adgnoscimus. nam caelaturam illius speculi recte interpretatus esse videtur Otto Iahnius in annalium instituti archaeologici tomo xvii p. 352 ss. neque dubitamus conspici in eo Iunonem Minervam Venerem iudicemque earum Paridem: Paris autem bracchium Veneris collo circundat ut eam osculetur, neque repellit illa osculum. itaque iure suo Iahnius hunc artificem notam fabulam eo deflexisse arbitratus est ut Venerem non tam promisso Helenae conubio quam suo quodam obsequio iudicem corrupisse fingeret. venit nobis in mentem suavissimorum Moschi versiculorum, ‘Α Κύπρις τὸν Ἔρωτα τὸν οἵσα μαχρὸν ἐβώστρει, “Εἴ τις ἔνι τριόδοισι πλανώμενον εἶδεν Ἔρωτα, Δραπετίδας ἐμός ἔστιν· δὲ μανυτὰς γέρας ἔξει. Μισθός οἱ τὸ φίλαμα τὸ Κύπριδος· ἦν δὲ ἀγάγης νῦν, Οὐ γυμνὸν τὸ φίλαμα, τὸ δὲ, ὡς ζένε, καὶ πλέον ἔξεις.” sed’ num artifex ille Etruscus Paridem aliquid amplius reportasse putaverit ignoramus, neque si caelator aliquis aut pictor aliquid finxit lasciviusve lusit, continuo hoc ad communem opinionem referendum est: quod non monemus Iahnii causa, quem scimus ab ista opinandi levitate prorsus abhorrere. sed fuerit aliqua fama Venerem Paridi sui copiam fecisse, quod tum credemus cum certis testimoniis demonstratum erit; nihilo tamen magis putabimus Propertium Paridis et Veneris amores hic commemorare potuisse. nam qui ita loquitur, ‘nos vero omnia, sicut in libris scripta sunt, sarta tecta habemus, quia hic ut toties uni huic poetae nostro doctissimo notitiam eius amoris deberi minime invidemus,’ eum declamare censemus, non iudicare. etenim cum non sit boni poetae ludificari lectores iustumque expectationem fallere, nemo nisi qui aptissimis minus apta, obscuram fabulam notae et Homericis carminibus celebratae quadam mentis perversitate praferret, si Marti alium Veneris amatorem addere volebat, Anchisam praeterire potuit, praesertim Romanus poeta, quem Aeneae meminisse par erat. quo circa recte eos iudicasse arbitramur qui Paridem ex Propertii

carmine removendum esse censuerunt: quamquam quae pro eo substituere voluerunt non videntur nobis esse adprobanda. nam cum Nicolaus Heinsius emendationem frustra temptasset, Ioannes Schraderus scribendum esse coniecit *Quamvis Ida Phrygem pastorem dicat amasse*: sed inutile est Phrygis vocabulum postquam Ida commemorata est. Valckenarius in elegiarum Callimachiarum fragmentis p. 73 scripsisse poetam putavit *boum pastorem*. debebat ante omnia quaerere num Latini boum pastorem pro bubulco, ovium pastorem pro opilione, pro caprario et subulco pastorem caprarum et suum dixissent, quod nobis nullo exemplo constat. sensit hanc difficultatem homo doctissimus, sed callide ita obtegere studuit ut adfirmaret debuisse ita dicere¹

¹ Propertium quoniam Romanis auribus ingratum fuerit bubulci vocabulum. quasi in vocabulo potius quam in re positum sit si bubulei commemorationem cultam Propertii poesin hic minus decere existimamus, aut quasi Propertius, si bubulcum nollet, Anchisam non potuerit nullo ambiguitatis periculo simpliciter dicere pastorem. nuperrime Robertus Vngerus in analectis Propertianis p. 18 adsumpto ex interpolatis codicibus pronomine (solet enim vir πολυμαθέστατος certissimas artis criticae regulas non numquam minus attendere) ita scribendum esse pronuntiavit, *Quamvis te Ida, parens, pastorem dicat amasse Atque inter pecudes accubuisse deam*. verum nobis quidem illa Veneris genetricis adpellatio hic minime apta esse videtur: quod si quis aliter sentiat, illud certum est, Propertium in proximis distichis a narratione ad apostrophen pulchre transire, illic autem apostrophen putidam esse orationemque moleste interrumpere. quae de reliquis versibus Vngerus disseruit tacere praestat. nobis ea quae apud Propertium secuntur emendandi viam aperire videntur. adparet enim eum modestiorem narrationem, qualis in hymno Homericō est, exemplo fortasse molliculi alicuius poetae Alexandrini ita exornasse ut nymphas silenos ipsumque Bacchum amoris illius testes fuisse fingeret. cum hoc invento versus illi aptissime congruent, si duabus litteris mutatis ita scribimus, *Quamvis Ida PALAM pastorem dicat amasse Atque inter pecudes accubuisse deam*.

Similiter aliis carminis obscura et depravata verba ad notam et quae recte a Propertio commenmorari potuerit fabulam revocanda esse censuimus. de qua re ut hic disputemus ora-

INDEX LENTIONVM HIBERNARVM 1854.

63

tionis etiam quadam similitudine admonemur: iterum enim poetam scheme illo quod ἀπὸ κονοῦ dicimus usum esse intelligimus. nam alterius et vicesimae libri quarti elegiae initium hoc est,

*Frigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos,
Tulle, Propontiaca qua fluit Isthmos aqua;
Dindymus, et sacrae fabricata iuvencia Cybebae,
raptorisque tulit qua via Ditis equos,
5 si te forte iuvant Helles Athamantidos urbes,
nec desiderio, Tulle, movere meo,
tu licet adspicias caelum omne Atlanta gerentem,
sectaque Persea Phorcidos ora manu,
Geryonae stabula et luctantum in pulvere signa
10 Herculis Antaeique, Hesperidumque choros,
tuque tuo Colchum propellas remige Phasin,
Peliacaeque trabis totum iter ipse legas,
qua rudis Argoa natat inter saxa columba
in faciem prorae pinus adacta novae,
15 et sis qua Ortygia et visenda est ora Caystri
et qua septenas temperat unda vias;¹
omnia Romanae cedent miracula terrae:
natura hic posuit quidquid ubique fuit.*

versum illum in quo de Ortygia dictum est ita ut fecimus scribendum esse in musei philologici a Welckero et Ritschelio editi tomo III p. 450 ss. [supra 1 456.] demonstratum est: postea vir quidam doctissimus certae emendationi turpe vitium addendum esse putavit. non minus autem falluntur qui alterum distichon cum primo coniungunt, disiungunt a sequentibus; quo oratio et cogitatio poetae prorsus pervertitur. immo primi duo versus a reliquis separandi sunt, proximo disticho longa versuum inter se conexorum series incohatur, verba autem haec, *Si te forte iuvant*, scheme ἀπὸ κονοῦ et eadem illa quam supra tetigimus anticipatione explicanda sunt. sed tertius versiculus in libris ita scriptus est ut plane nequeat intellegi. habet enim uterque codex non *sacrae* sed *sacra*, tum *inventa*, denique Neapolitanus *cibele*, Groningen *cybelae*. quod supra posuimus Isaaco Vossio debetur, qui de his versibus in commentariis Catullianis p. 164 dixit. verum Vossii conjecturam et aliis et ipsi adeo Lachmanno placere potuisse valde miramur: nititur enim disputa-

42

tione prorsus perversa, in qua refellenda commorari non opus est, cum Ioachimus Marquardtus in libro quem de Cyzico scripsit p. 97 ss. omnes Vossii errores rectissime refutaverit, Nicandreo- rum verborum Ἀρκτον ὑπ' ὀμφαλόεσσαν interpretationem falsissi- mam, Arcti et Dindymi confusionem, taurobolia ad Propertii tempora temere translata. sed quod ipse vir doctissimus Puccii excerptis fidem habuit Propertiumque ita scripsisse putavit, *Dindyma qua Argivum fabricata iuventa Cybebae*, hoc vero mi- nime probamus. mirum est enim Argivos dici non sacrarium Dindymenum sed ipsa Dindyma matri deorum fabricatos esse. deinde quid in Puccii sive Vallae codice scriptum fuerit incer- tum est. nam adscripsit quidem Puccius haec, *Dindima qua argivum fabricata iuventa cybele est*, sed simul etiam *sacrae* ad- scripsit: unde hoc in codice Vallae fuisse suspicamur, illud coniecturam esse aut ipsius Puccii aut aliis Itali qui Strabonem legerat. atque ad haec Puccii verba, 'Delubrum dindimenaē cibeles supra Cyzicon,' Antonius Perreius haec addidit, 'erat positum ab Argonautis. Strabo.' verum sive in codice Vallae inventum est sive postea excogitatum, coniecturam prodit aper- tissime. Hertzbergius cum antea Vossii commenta inprobasset boumque effigies quas nummi Cyziceni habent ad Proserpinæ cultum, ut par erat, rettulisse videatur, postea maluit Klauseni quibusdam opinacionibus fidem habere et admirabilia, nequid gravius dicamus, ipse comminisci. unum tamen est quod per- spexit, sacram pro sancta Cybelen nequaquam dici potuisse. nobis idem Strabo a quo Italus ille in difficillimo versu auxilium petiit veri inveniendi viam monstrare videtur, sed ut plenior narratio adscisci debeat. Strabo enim libro XII p. 575 in Cyzici descriptione haec habet, τῆς δὲ πόλεως τὸ μὲν ἔστιν ἐν ἐπιπέδῳ, τὸ δὲ πρὸς ὅρει καλεῖται δ' Ἀρκτων ὅρος. ὑπέρκειται δ' ἄλλο Δινδυμον μονοφύες, ιερὸν ἔχον τῆς Δινδυμήνης μητρὸς θεῶν, ἕδρυμα 13 τῶν Ἀργωναυτῶν. *(schol. Clem. Al. p. 96 ἐν Δινδύμῳ δὲ ὅρει τῆς Κυζικοῦ φαίνονται οἱ Ἀργωναῦται τὴν Ρέαν ἔξεμενιζόμενοι ἄγαλμα αὐτῆς ἐκ παλαιοῦ ξύλου ἀμπελίνου κατασκευάσαντες.)* uberior rem narrat Apollonius Rhodius I 1112 ss. Τοῖσι δὲ Μακριάδες σχο- πιαὶ καὶ πᾶσα περαίη Θρηικίης ἐνὶ χερσὶν ἑαῖς προυφαίνετ' ἵδεσθαι. Φαίνετο δ' ἡρόεν στόμα Βοσπόρου ἡδὲ κολῶναι Μυσίαι· ἐκ δ' ἑέ- ρης ποταμοῦ ὃρος Αἰσήποιο Ἀστο τε καὶ πεδίον Νηπήιον Ἀδρηστείης. Ἔσκε δέ τι στιβαρὸν στύπος ἀμπέλου ἔντροφον ὅλη, Πρόχυν γεράν-

INDEX LECTIÖNVM HIBERNARVM 1854.

65

δρυον· τὸ μὲν ἔκταμον, ὅφρα πέλοιτο Δαιμονος οὐρεῖης ἱερὸν βρέτας· ἔξεσε δ' Ἀργος Εὔκόσμως, καὶ δή μιν ἐπ' ὄχριόντι κολωνῷ "Ιδρυσαν φηγοῖσιν ἐπηρεφές ἀκροπάτησιν, Αἴρά τε πασάων πανυπέρταται ἐρρίζωντο. Βωμὸν δ' αὖ χέραδος παρενήνεον· ἀμφὶ δὲ φύλλοις Στεψάμενοι δρυίνοισι θυητολίῃς ἐμέλοντο, Μητέρα Δινδυμίην πολυπότνιαν ἀγχαλέοντες. notissima haec erant Propertio, utrōque qui et Apollonii et Varronis Atacini carmen legerat. itaque cum contemplamur quae codices habent, *Dindymus et sacra fabricata inventa cibele*, videre nobis videmur Propertium scripsisse *Dindymus et sacra fabricata e vite Cibeve*. nam Dindymon vel Dindyma quin a Latino poeta Dindymus dici potuerint nulla causa est cur dubitemus: dixit ita Plinius naturalis historiae v 32. quod si quis audaciam nostram reprehendet, gaudebimus si protulerit quod et proprius absit a codicū litteris et rei aequae conveniat: interim hoc quidquid est audaciae lenissima aliis carminis emendatione volumus compensare.

Nam persuasum nobis est maculam tollendam esse ex hoc pulcherrimo sextae libri ultimi elegiae exordio,

*Sacra facit vates: sint ora faventia sacrī,
et cadat ante meos icta iuvēna focos.
cera Philetæis certet Romana corymbis,
et Cyrenæas urna ministret aquas.
costum molle date et blandi mīhi turis honores
terque fōcum circa laneus orbis eat.
spargite me lymphis, carmenque recentibus aris
tibia Mygdoniis libet eburna cadis.*

in venustissimis versibus unum vocabulum cerae vehementer displicet, propter nullam aliam causam quam gravissimam quod tabulae ceratae, qua carmen significari putant, commemorationis allegoriae concinnitatem importune turbat ac prorsus evertit. intellexit hoc Iosephus Scaliger, qui 'cera' inquit 'hic locum non habet, neque scriptio.' itaque *serta* scribendum esse coniecit, apte sane, sed mutatione non tam probabili ut non debeat leniori, si inveniri possit, cedere. minuitur etiam probabilitas, si praeterea *certent* scribimus; si *certet* servamus, quod Scaliger voluisse videtur nuperque Vngerus defendit, non credibile est Propertium rarissimo *sertae singulari numero hic usurum fuisse ubi ipsa res pluralem commendabat.* quare potius duabus litteris in unam contractis scribimus *ARA Philetæis certet Romana*

Cambridge University Press

978-1-108-06662-4 - Opuscula: Volume 2

Moritz Haupt Edited by Ulrich Von Wilamowitz-Moellendorff

Index

[More information](#)

66

INDEX LCTIONVM HIBERNARVM 1854.

corymbis. ne in nota re multa inutiliter congeramus, unum tantum ipsius Propertii versum adscribimus (iii 10 19), *inde 14 coronatas ubi ture piaveris aras.* quod focus simul com'memoratur et quattuor interiectis versibus ararum mentio reddit, neminem offendet nisi qui et Propertium et omnino veterem poesin ignorat.

Sed de Propertio dicere infinitum est, angustis autem finibus hoc prooemiorum genus circumscribitur. itaque non moramur vos diutius, iuvenes carissimi, sed convertimus nos ad indicandam uberrimam scholarum hibernarum copiam. quibus ita utimini ut industriam praeceptorum vestra industria exaequetis.



Cambridge University Press

978-1-108-06662-4 - Opuscula: Volume 2

Moritz Haupt Edited by Ulrich Von Wilamowitz-Moellendorff

Index

[More information](#)

INDEX LECTIONVM AESTIVARVM 1855.

Q. Valerii Catulli, de quo non nulla disputare volumus, carmina ne Augusto quidem imperante, qua aetate poesis Latinae forma et species paullatim mutata erat, non fuisse studiose lectitata memorabilibus aliquot argumentis potest demonstrari. quorum unum ex Sosipatri Charisii institutionum grammaticarum libro primo sumimus, ubi haec leguntur cap. 18 § 40, *hos pugillares et masculino genere et semper pluraliter dicas, sicut Asinius in Valerium, quia pugillus est qui plures tabellas continet in seriem sutas.* attamen haec pugillaria saepius neutraliter dicit idem Catullus in hendecasyllabis. item Laberius singulariter hoc pugillar dicit. qui primus Charisii institutiones edidit Pierius Cyminius obscuriores codicis Neapolitani litteras non satis adsecutus erat: dedit enim *sicut Asinius inue* et deinde post vacuum spatium *qui pugillus est* et cetera. explevit haec Putschius (p. 75) ita, *sicut Asinius in Valerium lib. 1.* atque illud quidem *in Valerium* etsi nobis non constat unde sumptum sit, verum tamen est: nam Henricus Keilius, cuius eximiae in explorandis veteribus libris sollertiae tuto confidimus, docuit nos se in libro Neapolitano *in ualer legisse* et esse has litteras certas, tum aliquot litteras dispici non posse, neque tamen plus scriptum fuisse videri quam *in ualerium*, atque hunc fuisse versiculi finem. itaque libri primi commemoratione quam Putschius addidit reicienda est. *) deinde *sitas* seripserunt Pierius et qui eum secuti sunt Fabricius atque Putschius: Niebuhrius dubitasse videtur utrum *satas* an *sutas* in codice scriptum esset; sed *sutas*, quod verum est, Keilio perspicuum fuit. tum in codice ea leguntur quae supra posuimus, nisi quod *idem catulus in indecasyllabis* scriptum

*) [Sumpta est ex schedis Cauchianis. cf. H. Keil in *praefatione Charisii sui XXIV sqq. et 608.*]

est, in nomine autem Laberii, pro quo Pierius spatium reliquit, hae tantum quinque litterae *laber* cognoscuntur, reliquae in fine versus evanuerunt, neque vero plus scriptum fuit quam *laberius*. mutaverunt haec Fabricius et Putschius ita ut uterque duos Catulli versiculos adiceret, Putschius autem praeterea scribebat *item Laberius in Piscatore*. scilicet Ianus Dousa, qui quae in exemplari suo Charisii adnotaverat a Putschio codex Dousae dicuntur, sumpsit hoc ex incerti scriptoris commentariolo quod dicitur de orthographia, in quo haec leguntur p. 2796 *P. pugillares et masculino genere et semper pluraliter dicas, quia pugillus est qui plures tabulas continet. item Laberius in Piscatore singulariter hoc pugillar dixit.* pugillarium vocabulo Catullus¹ in eis quae habemus carminibus semel usus est, cum dixit *iocum me putat esse moecha turpis Et negat mihi nostra reddituram Pugillaria, si pati potestis.* itaque quod Charisius narrat saepius eum in hendecasyllabis *pugillaria* dixisse, aut ad alia carmina quae perierunt pertinet aut, quod veri multo est similius, neglegentia et error grammatici subest: nam *pugillaria* sane semel in illo carmine (42) Catullus dixit, sed quinquies *codicillos*. de Asinii autem in Valerium libro quae homines docti protulerunt expendere nihil attinet, cum omnes id neglexerint quod nobis videatur ante oculos positum esse. nam qui fieri potuit ut a grammatico *idem Catullus* diceretur, nisi aliqua eius significatio antea facta erat? quare quod antea legitur *Asinius in Valerium*, id ita interpretamur ut Asinium aliquid de Valerio Catullo seripsisse dicamus. nam Henricum Meyerum, qui in oratorum Romanorum fragmentis p. 499 non monito lectore ita seripsit, *attamen haec pugillaria saepius neutraliter dicit, item Catullus in hendecasyllabis*, quoniam inepte fecit, non morabimur. Asinium autem illum existimamus non esse alium quam C. Asinium Cn. f. Polionem, primarium saeculi sui virum, quem a grammaticis studiis non magis quam M. Valerium Messallam Corvinum abhorruisse constat. nam ab Atteio philologo eum familiariter cultum praeceptisque de ratione scribendi instructum esse Suetonius scribit in grammaticis; Aristium Fuscum, Horatii amicum, quem grammaticum doctissimum fuisse in scholiis Cruquianis ad sermonum 1 9 61 adnotatum est, de grammatica quaestione ad eum seripsisse ex particula commentarii alicuius ab Eichenfeldio in analectis grammaticis p. 452 edita adparet, quam ita scribendam esse alias

dictum est [*post Gratium p. 40.*], est enim nunc genus dilatandi verba quae in litteris finiuntur, de quo Aristi Fusci grammatici est liber ad Asinium Polionem, rectius dici veniebam salliebam leniebam molliebam quam venibam sallibam lenibam mollibam. namque venio prima correpta veniebam, rursus prima producta venibam, non veniebam, audio audiebam, audeo audebam. solebant autem illo tempore homines docti libros suos non facile aliis inscribere quam quorum studia a disputatis rebus non essent aliena, contra atque hodie multos videmus aut favoris captandi aut gratiae referendae causa quae scripserunt eis dicare quos praevident nullum versiculum lecturos esse. sed Asinius otii partem consumpsit in exagitandis eis quae a claris scriptoribus vitiouse dicta esse putabat. commemorat enim librum eius quo Sallustii scripta reprehendit Suetonius in grammaticis (cap. 10), Gellius noctium Atticarum x 26 epistulam quam ad Plancum scripsit, in qua epistula vituperavit quod Sallustius in primo historiarum maris transitum transmissumque navibus factum transgressum adpellaverat eosque qui fretum transmiserant transgressos dixerat: *nam transgressor inquit a transgrediendo dicitur idque ipsum ab ingressu et a pedum gradu adpellatum.* rectissime autem Gellius nimium translati verbi fastidium contemnit. deinde notum est quod Quintilianus libro XII 1 22 scripsit Asinium utrumque, id est Polionem et filium eius Gallum, vicia orationis quibus Ciceronem laborasse putarunt inimice pluribus locis insecuros esse. denique in T. Livio Polionem quandam Patavinitatem inesse putavisse¹ satis decantatum est. quae Patavinitas⁵ qualis fuerit multi indagare studuerunt: sed frustra is labor suscipitur. neque enim nos qui sero vivimus subtiliora discrimina quibus urbana oratio a non urbana distabat intellegere possumus neque quisquam nisi in ea lingua in qua natus est percipit si paullulum peregrini sermonis admiscetur. praeterea cum ea consideramus quae Gellius ex illa Asinii epistula attulit, magnopere verendum esse videtur ne senex sane egregius sed paullo morosior etiam de Livii oratione fastidiose et cum quadam cavillatione iudicaverit. illud autem certum est, non recte eruditissimum virum Godofredum Bernhardum in historia litterarum Latinarum p. 545 censere Polionem Patavinitatem Livii non in sermone eius vocabulorumque delectu deprehendisse, sed in scholastica quadam et a civili scientia non satis instructa loqua-

citate. refragatur huic opinioni Quintilianus, qui libro i 5 55 *peregrina porro inquit ex omnibus prope dixerim gentibus, ut homines, ut instituta etiam multa, venerunt. taceo de Tuscis et Sabinis et Praenestinis quoque: nam ut eorum sermone utentem Vectium Lucilius insectatur, quem ad modum Pollio reprehendit in Livio Patavinitatem; licet omnia Italica pro Romanis habeam.* tum libro viii 1 3 ita loquitur, *et in T. Livio, mirae facundiae viro, putat inesse Pollio Asinius quandam Patavinitatem.* quare, si fieri potest, et verba omnia et vox huius alumnū urbis oleant, ut oratio Romana plane videatur, non civitate donata. ex quibus simul adparet non rectius Bernhardium p. 231 suspicari Polionem in conventu aliquo recitandi declamandive causa facto Livium reprehendisse: immo in aliquo libro eum Livii orationem tetigisse ostendit quod *putat* dixit Quintilianus praesenti tempore. itaque qui vitia sermonis insectabatur et de Sallustio librum conscripsit, eum non mirabimur etiam de Catullo aliquem commentarium fecisse in eoque commentario, cum ille *pugillaria* dixisset, *pugillares* potius dicendum esse docuisse. quam ob rem non adsentimur Rudolfo Thorbeckio, qui in egregia commentatione quam de Asinio Polione scripsit p. 124 Asini in Valerium librum grammatici alicuius fuisse putavit, non clari illius Polionis. immo non prorsus separabimus Asinium Polionem a grammaticis neque quod Charisius p. 64 P. scribit Asinium pariter atque Aelium Stilonem in Nelei carmine *puer* feminino genere dictum esse putare, cum Varro *puera* probet, ad alium hominem tuto referemus. non magis autem liquet cur ab Asinio arcendum sit quod Priscianus habet libro x p. 888 P. *nancisor etiam nactum* *facit absque n.* ut *Probo et Capro et Pollioni et Plinio placet.* num Asinius ut de Catullo ita etiam de Vergilii Aeneide aliquid commentatus sit disputare hic nolumus, ne nimium a Catullo aberremus: negavit factum esse Theodorus Bergkius in ephemeride studiorum antiquitatis anno MDCCXXXV p. 120, sed suspicionibus eius quantumvis ingeniosis quaestio minime profligata est.

De Catullo igitur, ut ad hunc redeamus, quid Asinius Polio iudicaverit praeter factam, ut videtur, ab eo unius vocabuli reprehensionem nescimus; quamquam vellemus scire, praesertim cum iuvenis iuvenem novisset: admirati sunt Catullum duo temporum Augusti poetae, non illi quidem antiquarii, sed novae 6 poesis studiosi, alter Lygdamus, mediocris homo, alter ingenio-

INDEX LECTIONVM AESTIVARVM 1855.

71

sissimus omnium poetarum Latinorum Ovidius. et Lygdamus quidem in elegia vi (v. 39 ss.) hos versus habet,

Gnosia, Theseae quondam periuria linguae

flevisti ignoto sola relicta mari:

sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus,

ingrati referens inopia facta viri.

idem Lygdamus quod in eodem carmine (v. 27 s.) dixit
quid precor ah demens? venti temeraria vola

aeriae et nubes diripienda ferant,

potest recordatus esse Catulliani carminis (30 8 s.),

idem nunc retrahis te ac tua dicta omnia factaque

ventus irrita ferre ac nebulas aerias sinis:

nam ventorum quidem mentio saepe fit in hac sententia, sed rarius est quod ab utroque poeta additur. similiter propter perspicuam orationis convenientiam non dubitamus quin versiculus hic Catullianus (64 58),

irrita ventosae linquens promissa procellae,

Statio obversatus sit cum dixit Achilleidos ii 286

irrita ventosae rapiebant verba procellae:

Statim imitatus est Paulinus Nolanus carmine x v. 416,
irrita ventosae rapiunt haec vota procellae.

Verum longe quam Lygdamus fecit venustius Ovidius eiusdem carminis quo Catullus descriptionem nuptiarum Pelei et Thetidis cum Ariadnae historia coniunxit admirationem testatus est. etenim in libro fastorum tertio (v. 465 ss.) Bacchum ex India reducem formosam regis alicuius filiam secum adduxisse eamque adamasse fingit. graviter id dolet Ariadna,

*flebat amans coniunx, spatiataque litore curvo
 edidit incultis talia verba comis.*

'en iterum, fluctus, similis audite querellas;

en iterum lacrimas accipe, harena, meas.

dicebam (memini) "periure et perfide Theseu!"

ille abiit: eadem crimina Bacchus habet.

*nunc quoque "nulla viro" clamabo "femina credat."
 nomine mutato causa relata meast.'*

ingeniose Ovidius lectoribus quibus scribebat, id est hominibus elegantibus et liberaliter eruditis, pulcherrimum Carmen in mentem revocavit. nam illud *periure et perfide Theseu* repetitum est ex eis quae apud Catullum (v. 432 ss.) Ariadna dicit,

*sicine me patriis aveatam, perfide, ab oris,
perfide, deserta liquisti in litore, Theseu?
sicine discedens neglecto numine divum
inmemor ah devota domum periuria portas?*¹

7 quorum postrema, ut hoc strictim addamus, conparare possumus cum his Demosthenicis in oratione de falsa legatione § 220, μὴ πρὸς τοῖς ἄλλοις οἵς ὑβρισθε (οὐ γὰρ ἔγωγ' οἴδ' δὲ τι χρὴ λέγειν ἄλλο) καὶ ὑπὲρ ὅν οὗτοι δεδωροδοκήσασιν ὑμεῖς τὴν ἀρὰν καὶ τὴν ἐπιορχίαν οὕταδε εἰσενέγκησθε. pariter quae Ariadna Ovidii se nunc quoque clamaturam esse dicit, clamaverat apud Catullum (v. 143 s.),

*nunc iam nulla viro iuranti femina credat,
nulla viri speret sermones esse fideles.*

hoc autem artificium, ut eorum quae apud antiquorem poetam aliqua carminis persona dixerat eandem aut aliam personam recordari fingeret nobilisque poesis memoriam excitaret, Ovidio tantopere placuit ut Ennii quodam versiculo consimili plane ratione bis uteretur. etenim Varro in libro de lingua Latina VII (p. 287 Sp.) de verbis quibus poetae loca significarint dicturus *incipiam hinc* inquit: *Vnus erit quem tu tolles in caerulea caeli Templa.* Ennii versum esse Turnebus intellexit, primo annali eum recte adsignavit Scaliger, de qua re nunc Iohannes Vahlenius in perbono libro quo Ennianae poesis reliquias comprehendit diligentius dixit p. xxxiii. eodem autem versu Ovidium usum esse partim Turnebus partim Scaliger viderunt. nam in metamorphoseon XIII (v. 812 ss.) Mars his verbis Iovem adloquitur,

*tu mihi concilio quondam praesente deorum
(nam memoro memorique animo pia verba notavi)
'unus erit quem tu tolles in caerulea caeli'*

dixisti: rata sit verborum summa tuorum.

eidem Marti in fastorum II (v. 487 s.) haec tribuuntur,
'unus erit quem tu tolles in caerulea caeli'

tu mihi dixisti: sint rata dicta Iovis.

adparet autem non satis perceperisse inventi Ovidiani venustatem Rudolfum Merkelium, cum in doctissima de fastis commentatione p. LXXXI Ovidium Ennio versum illum surripuisse diceret. non surripuit versus neque Ennii neque Catulli, sed praeclarorum carminum memoriam repraesentavit.

Et est sane carmen illud Catulli praeclarum atque admirabile.

bile, neque ullum umquam poetam Romanum Alexandrinam poesin felicius imitatum esse putamus. quae laus non minuetur, si quis forte pauca quaedam minus apte congruenterque dicta deprehenderit. veluti quod v. 178 Ariadna dicit *Idomeneusne petam montes?*, si omnia accuratissime rimamur, neglecta esse videtur temporum ratio. Lyctios montes dicit Ariadna: nam *Lyctius Idomeneus* vocatur a Vergilio Aeneidos III 401. verum hic Idomeneus Deucalides, ut dicitur in Iliade, nepos fuit, ut narrat Apollodorus III 3 1, Minois, filius Deucalionis, fratriis Ariadnae. inepte tamen vituperaremus Catullum quod poetarum iure usus in tali re tempora, quae in fabulis non magnopere computanda sunt, non nimis curiose circumspexit. ceterum genetivus ille *Idomeneus* scite excogitatus est a Lachmanno in commentario Lucretiano p. 192, cum *Idmoneosne* vel *Idoneos ne*, quod traditum est, ab Italis non satis recte in *Idomeneosne* mutatum esset. sed adparet non plane certam esse emendationem: quamquam meliorem saltem ab ea inscitia ac temeritate non expectamus quae nunc in Catulli carmina grassatur. non minus autem quam illa Idomenei commemoratio alia carminis pars in qua non nulli offenderunt excusari potest. nam idem poeta qui postea in veste qua geniale Thetidis pulvinar tectum fuerit Ariadnam quae fluentisono prospectans litore Diae Thesea cedentem celeri cum classe tueretur pictam fuisse narrat Theseique navigationem multis versibus persequitur, in principio carminis, dum Argo commemorat, in qua vectum Pelea Thetis primum conspexerit, hunc de ea navi versum fecit, *illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten*. fuerunt qui Catullum carminis convenientiam servasse neque omnino mare, sed Pontum Euxinum Amphitrites nomine designasse opinarentur: quem ad modum a Phaedro III 7 10 Argo *ratis* dicitur *inhospitalis prima quae Ponti sinus patefecit*. sed hoc si voluisset Catullus, cavisset orationis forma ne lectorum mentes in notam illam et communem memoriam incurrerent qua Argo prima omnium navium fuisse narrabatur. neque vero potuit velle: nam hoc statim addit, *quae simul ac rostro ventosum proscidit aequor. Tortaque remigio spumis incanduit unda. Emerdere freti canenti e gurgite vultus Aequoreae monstrum Nereides admirantes.* itaque poeta eorum quae hic dixerat postea, cum Thesei navigationem describeret, oblitus est. sed obliviscuntur eorum etiam lectores, dum dulcissimi carminis varietatem secun-

Cambridge University Press

978-1-108-06662-4 - Opuscula: Volume 2

Moritz Haupt Edited by Ulrich Von Wilamowitz-Moellendorff

Index

[More information](#)

74

INDEX LECTIÖNVM AESTIVARVM 1855.

tur neque singula omnia pusilla grammaticorum diligentia rimantur. in eadem re similiter sibi non constare Valerii Flacci et Orphei Argonautica Iohannes Schraderus in iuvenili de Musaei carmine commentario p. 274 s. monstravit, sed ut minus liberali iudicio uteretur. falluntur autem neque ad poesis aetates atque genera ipsiusque inconstantiae diversitatem attendunt qui similiter excusant quaecumque in Homericis carminibus inter se discrepant: quibus Homerus, quem nihilo minus vehementer admirantur, videtur non quandoque, sed saepissime dormitasse. ceterum quod Catullus et post eum alii poetae Latini (Ovidius met. 1 14, Claudianus 26 337, Avienus progn. 74) mare dixerunt *Amphitriilen*, non suppetunt nobis Graeca eius figurae exempla nisi eorum poetarum qui multo postea vixerunt, veluti Oppiani et Dionysii quorum ille haec habet in halieuticis, 1 83 s. ἀλλὰ τριηκοσίων ὁργιῶν ὅχρι μάλιστα Ἀνέρες ἵσασίν τε καὶ ἔδρακον Ἀμφιτρίην, 343 ῥοθίων ὑπέρ Ἀμφιτρίης, 422 ss. καὶ τοὶ μὲν ἀναστέίχουσ' ἐπὶ γαῖαν Ποντόθεν, ἄλλοι δ' αὖτε κατ' ἡέρος Ἀμφιτρίη Μίσγονται, 600 κεῖνος γὰρ πάσης γλυκερώτερος Ἀμφιτρίης Κόλπος, 619 ἀμειβόμενοι δολιχὸν δρόμον Ἀμφιτρίης, 791 πᾶσα τότε γλαυκὴ λευκαίνεται Ἀμφιτρίη, III 459 χειμερίη πλημμυρὶς ὅταν ζέη Ἀμφιτρίης, III 677 s. τὸ δὲ πολλὸν ἐπιτρέχει Ἀμφιτρίη Ὄλλυμένων φύσημα, V 413 ἀλεγεινὸν ἐλεῖν τέρας Ἀμφιτρίης, 333 βλοσφύρων δάκος Ἀμφιτρίης. saepius etiam Dionysius in periegesi, multo breviore carmine, ita loquitur: cuius versiculos numeris suis indicare satis est, 53 99 134 169 201 297 324 481 614 706 862 1065 (Cocondrius περὶ τρόπων III 234 Sp.). sed hi poetae Alexandrina carmina haud dubie imitati sunt, neque Latinos poetas, quibus hae figurae paene magis quam Graecis placuisse videntur, multa in hoc genere ausos esse putamus sine Alexandrinorum poetarum exemplo. veluti quod non numquam *Tethyn* pro mari posuerunt, quem ad modum a Catullo in carmine LXXXVIII 5 *ultima Tethys* dicitur, *) non habemus Graeci poetae antiquius et similius exemplum quam Archiae in anthologia Pa-

*) [Conlegit practerea Hauptius haec exempla: Germanicus 592, Silius III 60, vi 395, xvii 243, Seneca Herc. f. 891, 1335, Hipp. 579, Med. 381, Herc. Oet. 1256, 1908, Lucanus I 554, II 588, IV 73, V 623, VI 67, 479, X 402, Martialis ep. 3 6, Statius Theb. IV 387, Claudianus I 35, 3 132, 5 148, 7 58, 17 50, 18 392, Ausonius Mos. 281, Avienus ar. 100, 1122, 1169, per. 31, 891, 898.]

latina **vii** 214, qui dixit πορθμεύσεις Τηθύος εἰς πέρατα: sed Callimachum similiter locutum esse probabile est propter Catulli versus in elegia Callimachia, *sed quamquam me nocte premunt vestigia divum, Lux autem canae Tethyi restituit.* nam paullo aliter explicandum est quod Callimachus in hymno Deliaco dixit (v. 16 ss.), ἀλλά οἱ οὐ νεμεσητὸν ἐνὶ πρώτῃ λέγεσθαι Ὁπποσαι Ωκεανόν τε καὶ ἐς Τιτανίδα Τηθὺν Νῆσοι ἀολλίζονται. possumus alia addere, sed in viam redeundum est.

Itaque Catulliani illius poematis laudem istis quas tetigimus similibusque cavillationibus inminui negamus: inminueretur quodam modo poetae laus, si recte Merkelius in prolusione quam de Ovidii Ibide scripsit p. 360 statueret carmen illud a Catullo satis accurate e Graeco conversum esse. verum et hoc temere scripsit (neque enim probabilis argumentationis umbra adparet) et erravit cum hoc poema non integrum carmen, sed partem tantum longioris carminis esse sibi persuaderet. nam quod dicit hoc carmen manifesta coniunctionis cum aliis indicia ab exordio servare, a veritate prorsus abhorret. adgnoscimus enim manifestum poematis initium, cum magnificos illos versus legimus, *Peliaco quondam prognatae vertice pinus Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas Phasidos ad fluctus et fines Aeeteos.* nullum est vestigium quod hos versus cum alio carmine olim cohaesisse significet: immo ne potuit quidem quicquam antecedere, nisi forte aliquod exordium. verum Catullus carmen nullo exordio praeparavit, sed ab ipsa narratione incepit, ne in hac quidem re ab Alexandrinorum poetarum imitatione alienus, quem ad modum in medias res lectorem rapiunt Theocritus Heraclisci, Moschus Europae et Megarae initiis. non minus autem quam initium carminis finis eius manifestus est in paeclaris versibus quibus narratio graviter ac sententiose absolvitur. tamen prolixiori carmini, non huic epyllio, convenire ait Merkelius versum illum (24) quo poeta heroes addoquitur, *vos ego saepe meo vos carmine conpellabo.* sed hanc carminis partem non rectius intellexit quam Madvigius in adnotatis ad Ciceronis de finibus bonorum et malorum librum v p. 733 eam emendavit. leguntur in nostris libris haece,

*o nimis optato saeclorum tempore nati
heroes, salvete, deum genus, o bona mater,
vos ego saepe meo vos carmine conpellabo,*

*teque adeo eximie taedis felicibus aucte
Thessaliae columen Peleu, cui Iuppiter ipse,
ipse suos divum genitor concessit amores.*

bona illa mater intellegi nequit, non minus autem vitiosum est quod in Laurentiano codice scriptum est matre, sed ut a vero propius absit. etenim in scholiis Veronensibus ad Aeneidos v 80 haec adscripta sunt, Catullus Salvete deum gens o bona matrum progenies salvete iter —: quae sequebantur non possunt 10 hodie legi. haec igitur verba cum Lachmannus ad illud carmen Catulli, id est ad finem paginae xxxxi pertinere significasset, Madvigius, ut gentis pro genere dictae exemplum praeter Ciceronianum et Vergilianum ostenderet, Catullum sic scripsisse dixit,

*heroes, salvete, deum gens, o bona matrum
progenies salvete iterum! vos conpellabo,*

quo facto carmen misere conciditur splendorque eius comminuitur. neque putamus Vergilium suum illud vigilaſne, deum gens Aenea (Aen. x 228) a Catullo sumpsisse, cum multo suavior sit Catulli versus, si genus, quod carminum eius exemplaria habent, retinemus. perstamus autem in ea sententia quae in quaestionibus Catullianis Lipsiae anno MDCCCXXXVII editis [supra i 32] declarata et comparatis non nullis versibus Ciris, inepti carminis, sed ad emendandam Catulli poesin non inutilis, stabilita est. ni mirum haec existimamus esse Catulliana,

*o nimis optato saeclorum tempore nati
heroes, salvete, deum genus, o bona matrum
progenies, salvete iterum
vos ego saepe meo vos carmine conpellabo,*

addidisse autem Catullum tertium salvete. nam quod is qui nuper Catulli carmina recognita a se, ut ait, sed certe non cognita, sumptibus Teubneri, bibliopole Lipsiensis, edidit, Catullum scripsisse coniecit adspirate canenti, id non scripsit: perit enim hoc asyndeto orationis pulchritudo. sed cum ita Catullus heroes adloquitur, vos ego saepe meo vos carmine conpellabo (nam quod Bergkius alterum vos in post mutandum esse censuit, inutile est neque tollemus venustam pronominis in concitata oratione iterationem), minime prolixius carmen significat, quae Merkeli opinio fuit, verum saepe poesi sua heroes sese celebraturum esse pollicetur. facit hoc exemplo prooemiorum Graecorum, quae finiri fere solebant altero utro horum versuum, αὐτὰρ ἐγώ καὶ σέο

καὶ ἄλλης μνήσομ' ἀοιδῆς et αὐτὰρ ἐγών ὑμέων τε καὶ ἄλλης μνήσομ' ἀοιδῆς, sed imitata erat illam veterum hymnorum clausulam etiam poesis Alexandrina. nam Theocritus laudationem Ptolemaei his versibus concludit, χαῖρε, ἄναξ Πτολεμαῖε. σένεν δὲ ἐγὼ ίσα καὶ ἄλλων Μνάσομαι ήμιθέων, δοκέω δὲ ποιος οὐκ ἀπόβλητον Φθέγξομαι ἔσσομένοις· ἀρετάν γε μὲν ἐκ Διὸς ἔξεις. *)

Carmen igitur illud Catulli et integrum poema esse contendimus et non conversum ex Graeco, sed factum imitatione epylliorum Alexandrinorum. nam cum antea plerique epicis poetae Latini maxime Romanarum rerum annales scripsissent neque Alexandrinae poesis adcuratior imitatio in usu fuisse, Catulli aetate ea increbruit conpluresque poetae Alexandrinorum rationem atque consuetudinem epylliis expresserunt. veluti, ut in Catulli amicis nos contineamus, Helvius Cinna Smyrnam scripsit, carmen non ad modum longum, Licinius Calvus Io, quae et ipsa uno libro comprehensa fuisse videtur. est autem totum Catulli carmen exemplo Alexandrinae poesis factum. nam ut vestem artificiose pictam describeret permotus fortasse est Apollonii Rhodii libro primo, in quo pictum Iasonis paludamentum describitur: certius est expressisse eum Alexandrinorum poetarum exemplar orationis forma versuumque numeris et ipsa totius carminis compositione. etenim quod partium eius aequabilitatem videmus non esse usque quaque concinnam, quod poeta in narratione modo conmoratur et paene verbosus est, modo breviter eam comprehendit et ad alia properat, quod aliquando degreditur a narratione atque ad eam redit, ni mirum penitus quasi hausit Alexandrinorum poetarum ingenium, quos hanc carminum inaequalitatem non devitasse sed studio quodam consecutatos esse cum aliis indicieis cognoscimus, tum Callimachi hymni manifesto ostendunt. orationis Alexandrinae, ne multi simus, exemplum demonstrare volumus unum. nam quae legimus v. 238 ss. haec mandata prius constanti mente tenentem Thesea ceu pulsae ventorum flamine nubes Aerium nivei montis liquere cacumen, ea talem orationis formam continent quam Latini poetae ab Alexandrinis

*) [Hauptius in scholis Catullianis postquam ad salve ter enuntiatum Servii auctoritate (ad Aen. v 80) usus est ita perrexit: Peerlkamp Virg. bd. 2 s. 410 o bona matrum Progenies salvete, iterum salvete, bonarum: nicht übel; aber iterum bei dem dritten salvete? anders das dreimalige gaudete in der Ciris. Catull schrieb etwa salvete iterum, salvete precanti.]

acceperunt. consimili plane dictione Theocritus usus est cum dixit carmine XII 8 s. τόσσον ἔμ' εὐφρηνας σὺ φανεῖς, σκιερὴν δὲ ὑπὸ φηγὸν Ἡελίου φρύγοντος ὀδοιπόρος ἔδραιμον ὡς τις, quae fuerunt qui non recte intellegent. idem dicendi genus Proper-tius imitatus est, comparatus ille a Lachmanno cum Catullo, III 14 11 ss., *gyrum pulsat equis, niveum latus ense revincit, Virgineumque cavo protegit aere caput, Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis Thermodontiacis turba, lavatur, aquis.* similius etiam loquitur Horatius carm. III 4 42 ss., *dirus per urbes Afer ut Italas ceu flamma per taedas vel eurus per Siculas equitavit undas.* quod ad versuum numeros attinet, Alexandrina plane diligentia in hoc quoque carmine Catullus cavit nequis versus hexameter post quartum trochaeum incisus esset: in qua diligentia, quantum meminimus, solus Latinorum poetarum eum adsequitur Lyg-damus. pariter Alexandrinae artis imitationem ostendit versuum qui in quinto pede spondeum habent et multitudo et magis etiam vocabulorum in quae numerose cadunt artificiosus delectus. quam artem illa aetate poetas affectasse ea docent quae Cicero iocose scripsit ad Atticum VII 2 4, *ita belle nobis flavit ab Epiro lenissimus Onchesmites.* hunc σπονδειάζοντα si cui voles τῶν νεωτέρων pro tuo vendita. placuerunt autem Catullo eiusmodi versus tanto-pere ut semel (v. 78 ss.) tres continuos faceret σπονδειάζοντας. praeiverunt in hac quoque re poetae Alexandrini, Aratus v. 419 ss. 953 ss., Theocritus XXV 29 ss., Callimachus in hymno in Dia-nam v. 222 ss., Apollonius Rhodius III 1191 ss., Euphorion eis versibus de quibus Meinekius, non immemor Catulli, dixit in analectis Alexandrinis p. 62. eorundem vero poetarum artem Catullus etiam in eo sequitur quod σπονδειάζοντας suos longioribus tantum vocabulis terminat, id est tetrasyllabis et non num-quam trisyllabis. ne hoc quidem intellexit is qui carmina Ca-tulli nuper recognovit: in qua re ita versatus est ut nescias quid magis admirere, ignorantium poesis Catullianae artisque criticæ (quamquam stemmata adeo codicem Catullianorum depingit) an neglegentiam opinionumque perversitatem. is igitur, cum in parte librorum hi versus (246 ss.) rectissime scripti essent, *sic funesta domus ingressus tecta paterna Morte ferox Theseus qualem Minoidi luctum Obtulerat mente inmemori tales ipse recepit* (nam in aliis libris minoya minoia et si milia vitia sunt), scribendum esse putavit 'Minoae vel Minoiae. h. e. Μινώα, trium syllaba-

rum': tam docte enim loquitur. verum disyllabo vocabulo eiusmodi versum neque Catullus conclusit neque cultiorum poetarum Latinorum quisquam neque magis quisquam Alexandrinorum: de Homericis versibus nondum confecta res est. neque quod olim Dorvillius Catullum scripsisse putavit, *quali Minoida luctu Obtulerat*, repetere nuper debebat Bergkius: nam ineptum id esse proximi versiculi comparatio docere poterat. contra nulla est in Graeca dativi qui est *Minoidi* prosodia offensio, neque ipse Dorvillius inmemor fuit pentametri illius Catulliani, quem supra alia de causa adscriptimus, *lux autem canae Tethyi restituit*.

Sed Catullus dum Alexandrinae poesis formam carmine suo exprimit non unum poetam secutus est neque a docta antiquiorum imitatione abstinuit: quamquam in demonstranda imitatione superioribus saeculis interpretes nimii fuerunt. quare exempla eius non nulla quae certiora esse videntur proferre satis habebimus. itaque nobiles illos versus Homericos, η , καὶ χωνέψιν ἐπ' ὁφρύσι νεῦσε Κρονίων· Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἀνακτος Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο· μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον, Catullus aperte imitatus est cum haec scripsit (v. 204 ss.), *adnuit invicto caelestum numine rector, Quo tunc et tellus atque horrida contremuerunt Aequora concussitque micantia sidera mundus*: ni mirum gravitatem et simplicitatem Homericici carminis scite amplificavit quo cum reliqui poematis splendore congrueret. similiter alios et pulcherrimos quidem versus non sine Homericorum versuum recordatione composuisse videtur (269 ss.), *hic, qualis flatu placidum mare matutino Horrificans zephyrus proclivas incitat undas Aurora exoriente vagi sub limina solis, Quae tarde pri- mum clementi flamine pulsae Procedunt (leni resonant plangore cachinni), Post vento crescente magis magis increbrescant Purpu- reaque procul nantes a luce resurgent, Sic ibi vestibuli linquentes regia tecta Ad se quisque vago passim pede discedebant.* in quibus versibus *sic ibi*, quod scriptum est in exemplari Lipsiae anno MDCCCLIII edito, sponte fit ex *sic tibi* quod pars librorum habet: *sic tum*, quod in aliis est (unde depravatum est *sic tam*, quod in Germanensi legitur, adscripto tamen in margine *tibi*), emendandi causa in archetypo supra adscriptum fuisse videtur: qui nuper *sic tum ibi* scripsit, ridiculous est cum *tibi* elisione *um* litterarum sine ulla dubitatione ortum esse dicit. sed Homericci versus, quos Catullo obversatos esse Achilles Statius vidit, hi

sunt (ll. III 422 ss.), ὡς δὲ ὅτε ἐν αἰγιαλῷ πολυηχέι κῦμα θαλάσσης Ὄρνυτ', ἐπασσύτερον ζεφύρου ὑπὸ κινήσαντος· Πόντῳ μέν τε πρῶτα κορύζεται, αὐτὰρ ἔπειτα Χέρσωφ ῥγγνύμενον μεγάλα βρέμει, ἀμφὶ δέ τ' ἄκρας Κυρτὸν ἵὸν κορυφοῦται, ἀποπτύει δὲ ἀλὸς ἄχνην· "Ως τότε ἐπασσύτεραι Δαναῶν κίνυντο φάλαγγες Νωλεμέως πόλεμόνδε. deinde quod (v. 284) pulchre dicitur Chiron flores corollis plexos attulisse, quo permulta domus iucundo risit odore, nihil hodie similius extat his versibus hymni in Cererem (13 s.), quos Ruhnkenius contulit, κηώδει δὲ δόδυῃ πᾶς τὸ οὐρανὸς εὑρὺς ὑπερθεν Γαῖα τε πᾶς ἐγέλασσε καὶ ἀλμυρὸν οἶδμα θαλάσσης. porro Euripidem aut alium poetam qui similiter locutus erat atque Euripides Catullum 13 his versibus (320 s.) imitatum esse suspicamur, *hae tum clarisona pellentes vellera voce Talia divino fuderunt carmine fata.* hic pellentes vellera verum esse nullo modo potest neque inscitum est quod Theodorum Heysium excogitasse Orellius narrat in eclogis poetarum Latinorum prolatumque postea etiam a Bergkio est, *vellentes vellera.* tamen veremur ne illud paronomasiae genus ab hoc quidem carmine alienum sit videturque nobis probabilius esse *pectentes vellera*, in quod Achilles Statius incidit. verum Statius suum illud *pectentes* non recte confirmare studuit versu Vergiliano (georg. II 121) *velleraque ut foliis depectant tenuia Seres:* is enim alienus est, accurate autem congruit quod Euripides in Oresta (v. 12) dicit, *ῳ στέμματα ἔγνασ'* ὅτε ἐπέκλωσεν θεὰ ἔριν: aegre enim caremus ὅτε particula quam Godofredus Hermannus addidit. videtur autem verbi quod est *ξαίνειν* non insolens fuisse liberior usus. nam ut Euripides illud ad nendi negotium transtulit ita etiam ad texturam translatum esse notis exemplis constat Aristophanis et Dionysii periegetae. quorum ille in avibus (v. 827 s.) haec habet, *λιπαρὸν τὸ χρῆμα τῆς πολέως.* τίς δαὶ θεὸς Πολιοῦχος ἔσται; *τῷ ξανοῦμεν τὸν πέπλον;* Dionysii autem hi sunt versus (755 ss.), *αἰόλα δὲ ξαίνοντες ἐρήμης ἄνθεα γαῖης Εἴματα τεύχουσιν πολυδαίδαλα, τιμήντα, Εἰδόμενα χροτῇ λειμωνίδος ἄνθεσι ποίης.* neque vero Catullus cum *pectentes vellera* de nentibus dicit insolentius graecissat quam hoc versu (18), *nutricum tenus extantes e gurgite cano:* quod ut diceret permovisse eum videtur Graecorum sermo, quibus τίθαι et nutrices sunt et mammae. ut deinde alia omittamus, cum poeta Venerem sic adloquitur (v. 96), *quaeque regis Golgos queque Idalium frondosum,* nemo est quin Theocritii illius versiculi re-

INDEX LECTIONVM AESTIVARVM 1855.

81

cordetur, δέσποιν', ἀ Γολγώς τε καὶ Ἰδάλιον ἐφίλασσας. denique memorabilem Graeci carminis imitationem haec continent (v. 110 s.), *sic domito saevum prostravit corpore Theseus Nequ quam vanis iactantem cornua ventis.* ne hic quidem ille qui Catulli carmina nuper recognovit ridiculous esse noluit: confidenter enim dicit se vidisse inter hos duos versus aliquid excidisse; quippe nomen deesse quocum saevum et iactantem coniungamus. non putaverat Catullus se inventurum esse lectorem tam perspicacem. sed alterum versum Iosephus Scaliger recte comparavit cum Graeco versu qui in epistulis Ciceronis ad Atticum legitur, πολλὰ μάτην κεράσσων ἐς ἡέρα θυμήναντα. quem versum Alexandrini poetae esse ex oratione et numeris haud absurde colligere nobis videmur, quin ex notiore aliquo carmine sumptus sit dubitari non potest. quare erunt fortasse qui eum Hecalae Callimachiae ei parti attribuant in qua sermo erat de tauro Marathonio.

Sed Graecus hic versiculos ad aliam disputationem nos traducit, in qua finem scribendi sumus facturi. quam ut recte instituamus, de epistula illa Ciceronis accuratius dicendum est. itaque Cicero cum mense februario anni ab urbe condita 100 in Formiano esset, litteras ad Atticum dederat (epistula est libri viii quarta) in quibus graviter questus erat de Dionysio, Attici liberto, docto homine, quem secum esse voluit, ut antea eum in Asiatico itinere comitem habuerat. verum Dionysius M. Tullium neque discedentem ab urbe mense ianuario secutus erat neque litteris¹ quibus ille eum ut ad se veniret invitaverat¹⁴ ita ut Ciceroni par esse videbatur responderat. M. igitur Tullius litteras ad Atticum miserat irae et indignationis plenas. interea advenerat Dionysius. itaque Cicero mansuetior factus aliam ad Atticum epistulam scripsit (viii 5), ex qua ea quae hoc pertinent adscribimus. Cum ante lucem viii kal. litteras ad te de Dionysio dedisset, vesperi ad nos eodem die venit ipse Dionysius, auctoritate tua permotus, ut suspicor. quid enim putem aliud? etsi solet eum, cum aliquid furiose fecit. paenitere. numquam autem cerritior fuit quam in hoc negotio. nam, quod ad te non scripseram, postea audivi a tertio miliario tum eum isse πολλὰ μάτην κεράσσων ἐς ἡέρα θυμήναντα, multa, inquam, mala eum dixisse: suo capiti, ut aiunt. sed meam mansuetudinem! coniceram in fasciculum una cum tua vementem ad illum epistulam:

hanc ad me referri volo; nec ullam ob aliam causam Pollicem, servum a pedibus meum, Romam misi. eo autem ad te scripsi ut, si tibi forte redditia esset, mihi curares referendam, ne in illius manus pervenirèt. quod in principio epistulae scriptum est de Dionysio non legitur in codice Mediceo cuius partem Franciscus Petrarcha scripsit: nam totum ab eo scriptum esse negat Theodorus Mommsenus v. cl., qui hunc librum diligenter excussit. sunt autem paene necessaria illa verba, quae Malaspina addenda esse censuit, cum in codicibus suis ad te Dionysio invenisset: illud ipsum ad te de Dionysio Simeon Bosius in codice Tornaeiano se legisse narrat; nam de scidis eius et libro Crusellino, quos libros addit (voluit enim scidas et codicem Crusellinum, non decurtatum, commemorare: nam scidae eaedem sunt ac decurtatus), de his igitur libris postea dicemus. Mediceus liber hic depravatus est: scriptum est enim in eo, ut Mommsenus nos docuit, Cum ante lucem viii kal. literas ad te literas dedissem. deinde cerritior, cum antea certior legeretur, Bosius adsecutus est coniectura egregia et necessaria, quam Lambinus merito adprobavit: quamquam ipse Bosius postea inventum suum respuit, ut erat ingenii non hebetis, sed perversi. convenit autem cerritior in eum qui furiose fecisse dicitur: de eodem Dionysio Cicero ad Atticum vi 12 haec scribit, pueri (id est Marcus et Quintus) aiunt eum furenter irasci, et libro viii 15 5 ego autem illum male sanum semper putavi. quod deinde Cicero scribit a tertio miliario tum eum multa mala dixisse, id quo pertineat difficile dictu est: nisi forte Dionysius discedentem ab urbe Ciceronem per partem itineris prosecutus erat. paullo post in Mediceo codice scriptum est sed in eam mansuetudinem, unde sponte fit quod Victorius dedit sed meam mansuetudinem: Bosius suos codices, id est decurtatum et Tornaeianum et Crusellinum, sed o meam m. habere dicit. denique venientem ad illum epistolam ineptissime scriptum erat: veherentem Ernestius dedit, perfecitque emendationem Lachmannus in commentario Lucretiano p. 433. in Graeco autem illo versu olim θυμαίνοντα legebatur: quod Lambinus scribi posse, Bosius in scidis et Tornaeiano scriptum esse adnotaverunt θυμήναντα, id ipsum efficitur ex depravatis Medicei codicis litteris πολλὰ μάτην καιρούντες αγῆτα. verum Bosii beneficio aliud Graecum vocabulum additum est: scripserunt enim qui post

INDEX LECTIÖNVM AESTIVARVM 1855.

83

eum has epistulas ediderunt,¹ obsequentes ei, postea audivi a¹⁵ tertio miliario tum eum ῥίψαι Πολλὰ μάτην κεράσσων ἐς ἡέρα θυμήναντα. sed ῥίψαι illud sive potius ῥίψαι vehementer miramur praelatum fuisse ei vocabulo quod in Mediceo libro est. nam cum τολλὰ θυμήναντα recte atque eleganter dictum sit, ῥίψαι cum reliquis non satis congruit, sed orationem perturbat. si quis autem ῥίψαι ad alia verba Graeci poetae, quae Cicero omiserit, pertinuisse putat, tam insolenti et mirabili ratione Ciceronem Graecum carmen suaे orationi adcommodasse nos quidem numquam eredemus. quare isse illud Medicei libri tenebimus et in codice Tornaeiano, ex quo ipse adfertur, peccatum esse, Bossum autem, qui ῥίψαι haud dubie Ciceroni tribuit, ut ῥίψαι τολλά idem esset atque quod deinde sequitur multa mala dixisse, Graece nugatum esse, quod saepe fecit, existimabimus.

Non dubitamus quin multi id quod diximus miraturi et temeritatem nobis obiecturi sint. nam ut Bosius in his Ciceronis ad Atticum epistulis emendandis perverso saepe iudicio usum esse plerique sane consentiunt, ita fidem ei habere solent, siquid ex codicibus suis profert, et codices illos maximi pretii fuisse putant, non modo Orellius (ut de aliis qui ante eum fuerunt taceamus), sed prudens homo Sadolinus Wessenbergius et ipse Nicolaus Madvigius (ad Cic. de fin. p. 203). adnotavit autem Bosius se ῥίψαι in codice suo decurtato invenisse: ‘cum legissem’ inquit ‘in codice Tornaeiano ipse, statim conieci Ciceronem scripsisse ῥίψαι, cuius meae conjecturae Lambinum tum admonui. sed is eam sibi adscripsit. postea vero omnibus litteris exaratum reperi in decurtato ῥίψai.’ de Crusellii libro tacet. decurtatum illum in praefatione dicit se ante annos quindecim (id est anno fere MDLXV) a gregario milite comparasse ex bibliothecae cuiusdam sacrae direptione tamquam e periculosissimo naufragio servatum; defuisse autem ei alicubi integras paginas totosque ultimos duos libros. accuratius in eis quae ad haec verba XIII 1, assentiris enim, adnotavit ‘hoc loco’ inquit ‘defecerunt scidae nostrae, magno studiosorum omnium detimento.’ lamentabilius etiam in scriptis adnotationibus, de quibus mox dicemus, loquitur. postquam enim assentiris in decurtato et Crusellino esse dixit (in edita adnotatione ‘lego’ inquit ‘ex Crusellino assentiris’), haec addit, ‘hic defecerunt scidae nostrae. quam iacturam ego tanti existimo ut reli-

6*

Cambridge University Press

978-1-108-06662-4 - Opuscula: Volume 2

Moritz Haupt Edited by Ulrich Von Wilamowitz-Moellendorff

Index

[More information](#)

84

INDEX LECTIONVM AESTIVARVM 1855.

quam partem huius libri et integros duos sequentes ut erant in eo exemplari descripti auro contra si liceret redemptos velim.' de Crusellino libro haec habet in praefatione, 'adiutus sum praeterea codice quodam excuso Lugduni, qui olim fuerat Petri Crusellii, medici apud nostrates celeberrimi; ad cuius libri oras doctus ille vir varias lectiones appinxerat, a se, ut ipse dicebat, diligentissime et summa fide e vetustissimo et castigatissimo libro Novioduni descriptas.' hos igitur codices hodie ita aestimare solent ut primo loco ponant decurtatum, secundo Crusellinum, tertio Tornaesonianum, quo Lambinus ante Bosium usus est, denique quarto Mediceum. mirum est autem codicibus illis decurtato et Crusellino neminem diffisum esse. nam praeter vera aut probabilia, quae plerumque talia sunt ut conjectura facile inveniri potuerint, profertur ex eis multa valde mirabilia, ex quibus deinde Bosius ea quae vera putat lenissima unius aut paucarum litterarum mutatione elicere solet, partim specie probabilia, partim absurdarum, praesertim Graeca, sed ut vix meliora ex librorum illorum scriptura efficere possis. et facit hoc Bosius quasi gradatim: nam inter emendationem eius scripturamque codicis Crusellini id quod e scidis profert fere medium est. sed quod homines docti, si diligentius attendissent, dudum suspicari poterant, codices illos Bosii decurtatum et Crusellinum nulos umquam fuisse, sed commentum eos esse Bosium fraude et fallacia, id ut non suspicari sed liquido confirmare possimus Theodori Mommseni industriae atque intelligentiae debemus.

Etenim Mommsenus ante hos decem annos Lutetiae Parisiorum codicem regium 8538 A diligenter excussit, quo codice continentur Simeonis Bosii animadversiones in libros septem posteriores epistularum ad Atticum, non quas postea edidit, sed quales primum conscriperat. eas si cum editis comparamus, mendacium fraudulentem hominis adparet: tam saepe longe alia ex duabus illis libris protulit quam quae postea in edito commentario eis adscripsit. scilicet alias alio tempore coniecturas fecit. ne autem quae breviter significavimus temere dixisse Bosioque iniuriam fecisse videamur, volumus ea exemplis declarare neque paucissimis, ut ne error et negligentia Bosii habeatur quae fraudus eius fuit et perfidia, neque nimium multis, ne lectores nos iudicio suo diffidere existiment. itaque libro x

ep. 6 Bosii editio haec habet, *De Quinto filio, fit a me quidem sedulo; nosti reliqua.* in quibus *fit a me* ex decurtato se sumpsisse dicit, cum in omnibus excusis depravate esset *ita me*, id quod in Mediceo codice scriptum est. ad priora verba haec adnotat in editis animadversionibus, ‘in scidis est *De Q. F.* unde natus est error eorum qui has notas interpretati sunt *de Quinto fratre.* ego sane verissimam existimo hanc scripturam, *De Quinto filio,* quam diserte refert Crusellinus.’ alia olim eius opinio fuerat aliaque in libris illis scripta erant. nam in ineditis adnotationibus ‘in scidis’ inquit ‘compendio exaratum est *de Q. frat.* quod ego interpretor *de Quinto fratribus.* facile enim subauditur *filio.* Victorius legit *de Q. filio,* quam scripturam in meis non reperio.’ in proxima epistula (x 7) edidit *nec tamen in acie, sed Melitae, aut alio in loco simili oppidulo, futurum puto,* neque quicquam de libris suis in editis animadversionibus addidit: in illis Parisiensibus scripserat haec, ‘*me, quod deerat in vulgatis post tamen, reposimus ex schedis,*’ sed delevit ea postea. scilicet Lambinus *me* addiderat. deinde x 11 1 in Mediceo libro et priore Victorii editione scriptum est *deitine et de sorore quae scribis molesta sunt:* in impressis exemplaribus praeter illud Victorianum *de itinere et legebatur.* Bosius in edito commentario libros Tornaesianum Huraltinum Crusellinum cum Victorianana scriptura consentire, in decurtato autem scriptum esse ait ΔΕΙ ΤΙΝΕ ΕΤΙ, unde fecit δεῖ τιθῆνται ἔτι, quod ineptum est: in scriptis adnotationibus decurtato tribuit ΔΕΙ ΤΙΤΙΝΕ, Crusellino *de itinere,* conicunque scribendum esse δεῖ τιθηνη: sic enim scripsit. mox ep. 12 2 Mommsenus in Mediceo libro legit *sed sati lacrimis.* ΠΑΡΑΤΛΕΥΤΕΟΝ igitur et occulte in all'quam onera-17 riam correpondum, unde Victorius παραπλευτέον fecit. Bosius in editis adnotationibus Tornaesianum et Crusellinum habuisse dicit ΠΑΡΑ ΟΤΑΛΕΙΤΕΟΝ, decurtatum ΠΑΡΟΡΑ ΟΤΑΙΤΕΟΝ, ipse inepte scribit πάρωρα ὀτλητέον. aliter narrat in ineditis, ‘veteres codices παραθλευτέον. fortasse παραθλευτέον.’ in eiusdem epistulae fine in Mediceo libro scripta haec sunt, *est enim indolens (indoles olim impressi).* modo aliquod hoc sit περισσός ακίμοαλον, similiaque Victorius dedit. Bosius edidit ἥθος διδαχῆ ἀλωτόν, aitque in Tornaesiano et Crusellino fuisse ΑΚΙ ΑΛΛΟΑΛΟΝ, in scidis ΔΑΧΙΑΛΟΑΛΟΝ. aliud et ineptius commentum in ineditis praeparaverat, in quibus Tornaesianum dicit habere ακιμολον,

scidas ακταλοδον, conicitque scribendum esse ἀκὴ ἄδολον. libro xi ep. 9 (§ 2), ubi scriptum erat *cessimus vel potius parui*, Bosius recte fortasse emendavit *cessi meis*, addiditque se scriptum repperisse in scidis *cessim iis*, in Tornaeiano *cessim his*. in ineditis male coniecit scribendum esse *cessi vi iis*, idque ita prae-muniit ut diceret in scidis esse *cessi in iis*, in Tornaeiano *cessim his*, in Crusellino *cessi ut iis*. ad epistulam 12 (§ 4) in impresso commentario adnotat ‘edidi Nilo meo, ut referebat decurtatus. nam alii libri hic misere corrupti sunt.’ in inedito Crusellinum habere ait *ilomeo*, Tornaeianum *lomeo*, de decurtato tacet. in epistula 14 (§ 3) Iohannes Fridericus Gronovius egregie scripsit *ad Minucium Tarentum scribam*, cum in Mediceo aliisque codicibus et impressis non nullis exemplaribus legeretur *parentum*, in editionibus Ascensiana altera, Cratandriana, Victorianis *parentem*. Bosius in edito commentario ita nugatur, ‘mei omnes manuscripti, praeter decurtatum, hic habent *Ad Minucium parentem*; quomodo in vulgatis legitur. at in decurtato pro *parentem* exaratum est *parantem*. unde conieci Ciceronem scripsisse *pariantem*, id est pares facientem rationes accepti et expensi.’ aliter ei antea visum fuerat: nam in ineditis Tornaeianum quidem habere scribit *parentem*, sed decurtatum *perotem*, scribendum autem ait *per Erotem*. in epistula 17 (§ 4) Mediceus liber et impressi veteres haec habent, *pro ea quam ad modum consolantis scripsisti*. P. tanta eo me scripsisse quae tu ipse intelligis responderi potuisse. olim correctum est *consolantis*: deinde *putato ea me scripsisse* Lambini emendatio est. Bosius in edito commentario scidas habere dicit *pro ea quam ad modum consolantis scripsisti pro tanta tato me scripsisse*: unde haec fecit, *pro ea quam ad modum consolantis scripsisti πραότατα*, *putato me scripsisse* etc. Graeca ei etiam antea placuerant, sed ineptiora. nam in ineditis illis dicit in scidis esse *pro ea quam admodum consolantis scripsisti protanta oeu me scripsisse*, ipse haec profert absurdia, *pro ea, quam ad modum consolantis scripsisti, πραότατα οὖο me scripsisse*. itaque postea paullum resipuit: sed simul etiam scidarum illud *oeu* aliquo miraculo in *tato* mutatum est. sed persequamur praestigiatorem. ad epistulam igitur 25 (§ 3) haec adnotat in edito commentario ‘proferam scripturam veterum codicum, ut videant lectores nimiumne mihi indulserim in lectione nostra inde procudenda. Tornae-

sianus haec ita referebat, *Quod ad te iam pridem de testamento scripsi apud epistolas velim, ut possim aduersas: decurtatus sic, Quod ad te iam pridem de testamento scripsi apud epistolas velim, ut possim aduersas. emendavi, Quod ad te iam pridem de testamento scripsi, apud εὑπιστον illas velim; ut possint advertas.*' videant sane lectores nimiumne sibi indulserit. nam olim in adnotatione inedita haec scripserat, '*Tornaesianus apud epistolas velim ut possim adversas, decurtatus opus de epistolas velim ut possim advertas. nos scripsimus, ὅπου δὴ πιστῶς illas velim ut possim advertas.*' libro xii in fine epistulae 14 haec dedit, *Piliam angi veta: satis solitus es moerere pro omnibus, ex fide decurtati, ut ait. non summa fides est decurtati, libri varii semper et mutabilis. etenim in ineditis Bosius ita scripserat, 'decurtatus angi vetabatis solitus est moerore ei pro omn. emendavimus Piliam angi veta, βαθὺς solitus est moeror ei p[ro]ae omnibus.'* in epistula 28 (§ 2) non inscite scripsit *fuit meum quidem iam pridem rem publicam lugere; quod faciebam, sed mitius. erat enim ubi acquiescerem.* addit autem '*Tornaesianus intus: decurtatus mitius, optime.*' in adnotatione inedita Tornaesianum et Crusellinum et decurtatum habere ait *sed intus erat ubi acquiescerem, idque probat.* in fine epistulae 46 Victorio haec debentur, *exculto enim animo nihil agreste, nihil inhumanum est: Mediceus exto habet.* scribendum esse *exculto enim in animo nuper Wesenbergius intellexit.* quid Bosius? '*priscam*' inquit '*lectio[n]em manuscriptorum nostrorum exsto ita emendavi, ξεστῷ.*' sed antea commentum suum, quod nemo non videt absurdum esse, libro decurtato adscribere voluerat: nam inedita eius adnotatio haec est '*Tornaesianus et Crusellinus exto, ut Victorius; decurtatus ξεστῷ, recte.*' libro xiii ad finem epistulae 10 Bosius in edito commentario haec adnotat, '*Tornaesianus sponsor sum factus est: scidae sponsor Suni factus est: lego sponsor Sunii factus est.*' sed in adnotationibus illis ineditis haec scripserat, '*sponsor summe decurtatus. fortasse sponsor summae.*' de Tornaesiano idem quod postea narrat. in epistula 31 (§ 3) edidit *de epistola ad Caesarem, κεκύβικα.* addit in Tornaesiano esse **ΚΕΚΒΙΚΑ**, in decurtato et Crusellino **ΚΕΚΙΒΙΚΑ**. ineditus eius commentarius narrat in Tornaesiano et Crusellino esse **κερικα**, in decurtato **κεραικα**: ipse scribendum conicit '**κεκεραικα**, a verbo **κεραιζειν.**' in epistula 33 (§ 2) scripsit *si Plancus destinat, tum*

*habet res difficultatem, ex decurtato et Crusellino, ut ait. prius haec adnotaverat, ‘Crusellinus et decurtatus si Plancus destinatum habet, habet res difficultatem, quod probamus.’ in fine epistulae 42 in omnibus antiquis se legisse dicit ΕΑΤΒΡ ΜΙΑΚ ΚΟΡΔΟΥ: ipse scripsit *eia tu. μίας χόρδου*, addiditque deliramenta. aliud olim temptaverat: nam inedita adnotatio haec est. ‘Tornaesianus fatur, Crusellinus *fartu*, decurtatus *faretur*. coniicimus *fare tu.*’ libro xv ep. 4 (§ 4) Victorius scribendum putavit *sed non cupio, quoniam cavetur Buthrotiis. rides? ast condoleo non mea potius assiduitate diligentia gratia perfici*: Mediceus *caretur Buthrotis* habet et *aps condoleo*. Bosius *caretur Butrotis* edidit et *ast condoleo*, hac addita adnotatione, ‘convenit manuscriptis nostris cum Victoriano in hac lectione referenda, *quoniam caretur Butrotis*. et certe eam mendo vacare puto. iocatur hic Cicero in Caesarem interfectum. idcirco subiicit *rides?*’ deinde multa absurdia loquitur. non convenerat antea libris manu scriptis 19 aliterque insaniverat Bosius. nam inedita¹ eius adnotatio narrat in Tornaesiano esse *quoniam caretur Buthrotiis rides abscon*, in Crusellino *quoniam aquaretur Buthrotiis rides ascon*: ipse monstrouse scribit *quoniam ἀκαρῆ tu Buthrotiis δερεῖς ἀσχόν*. denique epistulae 41 (§ 4) haec verba Iacobus Gronovius egregie restituit, *et habent, opinor, liberae legationes definitum tempus lege Julia; nec facile addi potest. aveo genus legationis, ut, cum velis, introire exire liceat*. in Mediceo libro scriptum est *potest adeo genus*: impressa quaedam exemplaria vetustiora habent potest. *idque adeo genus*, interpolatione recenti et manifesta. Bosius in edito commentario sic loquitur, ‘haec ita referebat Crusellinus, *nec facile addi potest ad idque adeo genus legationis*: quae in hunc modum correxi, *nec facile addi potest ad id, quod ad deos, genus legationis*. votivam legationem vocat genus legationis ad deos.’ in adnotatione inedita primum eam scripturam in qua est *idque adeo explicare temptavit*; deinde, cum non succederet, delevit quae scripserat et haec adnotavit, ‘vulg. et Tornaesianus *idque adeo*, Crusellinus *idque ad te eo. em. idque ad Θεον.*’ sed iterum his deletis eandem conjecturam retinuit, Crusellinum scripsit habere *idque ad Θεον.* deprehendimus hominem in ipsa mendaciorum officina.*

Possimus multa addere, sed satis disputasse videmur de Bosio. quare in posterum eis quae ex Tornaesiano codice pro-

Cambridge University Press

978-1-108-06662-4 - Opuscula: Volume 2

Moritz Haupt Edited by Ulrich Von Wilamowitz-Moellendorff

Index

[More information](#)

INDEX LECITIONVM AESTIVARVM 1855.

89

tulit, quem etiam Lambinus vidit, utemur quidem, sed caute;
quae decurtatum et Crusellinum habere narravit, ea partim con-
iecturas eius, partim muniendarum conjecturarum causa ficta
esse tenebimus. vos autem, iuvenes carissimi quos ad scholas
aestivas invitamus, vel hoc exemplo moniti mementote duratu-
ram laudem in litteris non magis quam in communi vita frau-
dibus comparari posse.

Digitized by srujanika@gmail.com